

БЕЛОРУССКИЙ ГОСУДАРСТВЕННЫЙ УНИВЕРСИТЕТ

ЛАТИНСКИЙ ЯЗЫК

ХРЕСТОМАТИЯ

МИНСК
БГУ
2015

УДК 811.124'276.6:82(075.8)(076.6)
ББК 81.461-3я73-3
Л27

Рекомендовано советом филологического факультета
16 октября 2015 г., протокол № 2

Составитель **К. А. Тананушко**
Автор предисловия и статей **Г. И. Шевченко**

Научный редактор
А. В. Гарник

Рецензенты:
кандидат филологических наук, доцент *А. З. Цисык*;
кандидат филологических наук, доцент *С. С. Хоронеко*

Латинский язык : хрестоматия / сост. К. А. Тананушко ; авт. предисл. и ст. Г. И. Шевченко ; науч. ред. А. В. Гарник. – Минск : БГУ, 2015. – 291 с.
ISBN 978-985-566-232-8.

В хрестоматию вошли произведения римской литературы III в. до н. э. – II в. н. э., которые изучаются в рамках курсов «Латинский язык и авторы», «Поэзия Горация», «Римские элегии» и др.

Предназначено для аудиторного чтения, а также самостоятельной работы студентов БГУ, обучающихся по специальности «Классическая филология».

УДК 811.124'276.6:82(075.8)(076.6)
ББК 81.461-3я73-3

ISBN 978-985-566-232-8

© БГУ, 2015

ПРЕДИСЛОВИЕ

В данную хрестоматию вошли произведения римских авторов III в. до н. э. – II в. н. э., которые изучаются в рамках курса «Латинский язык и авторы» на отделении классической филологии Белорусского государственного университета. Материал представлен с учетом всех требований типовых программ как по этому фундаментальному курсу, так и по ряду спецкурсов, таких как «Поэзия Горация», «Римские элегии» и др. В 2014 г. в Белорусском государственном университете была издана подобная хрестоматия «Древнегреческий язык».

В хрестоматии «Латинский язык» представлены образцы комедии (Тит Макций Плавт, Публий Теренций Афр); ораторской прозы (Марк Туллий Цицерон); историографии (Корнелий Непот, Гай Юлий Цезарь, Гай Саллюстий Крисп, Тит Ливий, Публий Корнелий Тацит); поэзии (Тит Лукреций Кар, Гай Валерий Катулл, Публий Вергилий Марон, Квинт Гораций Флакк, Секст Аврелий Проперций, Альбий Тибулл, Публий Овидий Назон); эпистолярного жанра (Марк Туллий Цицерон, Луций Анней Сенека Младший, Гай Плиний Цецилий Секунд); сатиры (Гай Петроний Арбитр, Децим Юний Ювенал). Важно отметить, что это первое отечественное издание, в необходимом объеме содержащее фрагменты латинских произведений античных авторов.

Все тексты сопровождаются краткими сведениями об авторах, приводятся источники. Материал изложен в хронологическом порядке.

TITUS MACCIUS PLAUTUS

Тит Макций Плавт (ок. 254–184 гг. до н. э.) – римский комедиограф, выходец из Умбрии. Не имел римского гражданства, считался чужестранцем (*peregrinus*). Однако прекрасное владение латинским языком помогло Плавту заняться литературной деятельностью. В Риме ему приписывали более 120 комедий, но римский ученый-энциклопедист Марк Теренций Варрон признал за Плавтом 21, из которых до нас дошли 20 целиком и 1 во фрагментах. Из них наиболее известны «Амфитрион», «Куркулион», «Менехмы», «Хвастливый воин», «Псевдол», «Ослы».

Все комедии Плавта построены по образцам новоаттической комедии, к представителям которой относятся Менандр, Дифил, Филемон. Комедиограф с большим вкусом переделывает греческую бытовую комедию, сохраняя греческие топонимы и персонажи, но выделяя такие сюжеты и образы, которые близки римским реалиям. Его произведения являются источником информации о повседневной жизни древнего Рима, а также содержат образцы разговорного латинского языка.

Большой интерес к творчеству Плавта возник в эпоху Возрождения, когда его комедии стали переводиться на европейские языки, оказав важное влияние на всю европейскую литературу. Так, сюжет комедии «Менехмы» лег в основу «Комедии ошибок» У. Шекспира. Особое влияние Плавт оказал на творчество Мольера (комедии «Скупой», «Амфитрион», «Дон Жуан»).

PSEUDOLUS*

ACTUS SECUNDUS

SCAENA I.

PSEUDOLUS

PSEUDOLUS

574

Pro Iuppiter, ut mihi, quidquid ago, lepide omnia

prospereque eveniunt:

575

neque quod dubitem neque quod timeam, meo in

pectore conditumst consilium.

* Фрагменты комедии «Псевдол» приводятся по изданию: *Plauti Comoediae* / ed. F. Leo. Berlin, 1896. Vol. 2.

nam ea stultitias, facinus magnum timido cordi credere;
 nam omnes
 res perinde sunt
 ut agas, ut eas magni facias; nam ego in meo pectore
 prius [...]
 ita paravi copias,
 580 duplicis triplicis dolos perfidias, ut, ubiquomque
 hostibus congregiar
 (maiorum meum fretus virtute dicam,
 mea industria et malitia fraudulenta),
 facile ut vincam, facile ut spoliem meos perduellis meis
 perfidiis.
 nunc inimicum ego hunc communem meum atque
 585 vostrorum omnium,
 Ballionem, exballistabo lepide: date operam modo;
 [hoc ego oppidum admoenire, ut hodie capiatur, volo.]
 atque huc meas legiones adducam; si expugno
 (facilem hanc rem meis civibus faciam),
 post ad oppidum hoc vetus continuo meum exercitum
 protinus obducam:
 inde me et simul participes omnis meos praeda onerabo
 atque opplebo,
 metum et fugam perduellis meis me ut sciant natum.
 590 eo sum genere gnatus: magna me facinora decet
 efficere,
 quae post mihi clara et diu clueant.
 sed hunc quem video? quis hic est qui oculis meis
 obviam ignobilis obicitur?
 lubet scire quid hic veniat cum machaera et huic, quam
 rem agat, hinc dabo insidias.

SCAENA II.
 PSEUDOLUS. HARPAX

HARPAX
 595 Hi loci sunt atque hae regiones quae mi ab ero sunt
 demonstratae,
 ut ego oculis rationem capio quam mi ita dixit erus meus
 miles,

septumas esse aedis a porta ubi ille habitet leno, quoi
 iussit
 symbolum me ferre et hoc argentum. nimis velim,
 certum qui id mihi faciat,
 Ballio leno ubi hic habitat.
 600 PS. [st, tace, tace, meus hic est homo, ni omnes di atque
 homines deserunt.]
 novo consilio nunc mihi opus est,
 nova res subito mi haec obiectast:
 hoc praevortar principio; illa omnia missa habeo, quae
 ante agere cecepi.
 iam pol ego hunc stratioticum nuntium advenientem
 probe percutiam.
 HARP. ostium pultabo atque intus evocabo aliquem foras.
 605 PS. quisquis es, compendium ego te facere pultandi volo;
 nam ego precator et patronus foribus processi foras.
 HARP. tune es Ballio?
 PS. immo vero ego eius sum Subballio.
 HARP. quid istuc verbist?
 PS. condus promus sum, procurator peni.
 HARP. quasi te dicas atriensem.
 PS. immo atriensi ego impero.
 610 HARP. quid tu, servon es an liber?
 PS. nunc quidem etiam servio.
 HARP. ita videre, et non videre dignus qui liber sies.
 PS. non soles respicere te, quom dicis iniuste alteri?
 HARP. hunc hominem malum esse oportet.
 PS. di me servant atque amant,
 nam haec mihi incus est: procudam ego hodie hinc
 multos dolos.
 615 HARP. quid illic secum solus loquitur?
 PS. quid ais tu, adulescens?
 HARP. quid est?
 PS. esne tu an non es ab illo milite Macedonio,
 servos eius qui hinc a nobis est mercatus mulierem,
 qui argenti ero meo lenoni quindecim dederat minas,
 quinque debet?

HARP. sum. sed ubi tu me novisti gentium
 620 aut vidisti aut conlocutu's? nam equidem Athenas
 antdhac
 numquam veni, neque te vidi ante hunc diem umquam
 oculis meis.
 PS. quia videre inde esse; nam olim quom abiit, argento
 haec dies
 praestitutast, quoad referret nobis, neque dum rettulit.
 HARP. immo adest.
 PS. tun attulisti?
 HARP. egomet.
 PS. quid dubitas dare?
 626 HARP. tibi ego dem?
 PS. mihi hercle vero, qui res rationesque eri
 Ballionis curo, argentum accepto [expenso] et quoi
 debet dato.
 HARP. si quidem hercle etiam supremi promptas thensauros
 Iovis,
 tibi libellam argenti numquam credam.
 630 PS. dum tu sternuas,
 res erit soluta.
 HARP. vinctam potius sic servavero.
 PS. vae tibi, tu inventu's vero, meam qui furcilles fidem.
 quasi mihi non sescenta tanta soli soleant credier.
 HARP. potest ut alii ita arbitrentur et ego ut ne credam tibi.
 PS. quasi tu dicas me te velle argento circumducere.
 635 HARP. immo vero quasi tu dicas quasique ego autem id
 suspicer.
 sed quid est tibi nomen?
 PS. servos est huic lenoni Surus,
 eum esse me dicam. Surus sum.
 HARP. Surus?
 PS. id est nomen mihi.
 HARP. verba multa facimus. erus si tuos domi est, quin
 provocas,
 ut id agam quod missus huc sum, quidquid est nomen
 tibi?
 640 PS. si intus esset, evocarem. verum si dare vis mihi,
 magis erit solutum, quasi ipsi dederis.

HARP. at enim scin quid est?
reddere hoc, non perdere erus me misit. nam certo scio,
hoc febrim tibi esse, quia non licet huc inicere unguas.
ego, nisi ipsi Ballioni, nummum credam nemini.

645 PS. at illic nunc negotiosust: res agitur apud iudicem.
HARP. di bene vortant. at ego quando eum esse censebo domi,
rediero. tu epistulam hanc a me accipe atque illi dato.
nam istic sumbolust inter erum meum et tuom de muliere.

PS. scio equidem: [ut] qui argentum adferret atque
expressam imaginem
650 suam huc ad nos, cum eo aiebat velle mitti mulierem.
nam hic quoque exemplum reliquit eius.

HARP. omnem rem tenes.
PS. quid ego ni teneam?
HARP. dato istunc sumbolum ergo illi.
PS. licet.
sed quid est tibi nomen?

HARP. Harpax.
PS. apage te, Harpax, hau places;
huc quidem hercle haud ibis intro, ne quid ἄραξ
feceris.

655 HARP. hostis vivos rapere soleo ex acie: eo hoc nomen mihi
est.
PS. pol te multo magis opinor vasa athena ex aedibus.
HARP. non ita est. sed scin quid te oro, Sure?
PS. sciam si dixeris.
HARP. ego devortor extra portam huc in tabernam tertiam,
apud anum illam doliarem, claudam crassam,
Chrysidem.

660 PS. quid nunc vis?
HARP. inde ut me arcessas, erus tuos ubi venerit.
PS. tuo arbitratu, maxume.
HARP. nam ut lassus veni de via,
me volo curare.
PS. sane sapis et consilium placet.
sed vide sis ne in quaestione sis, quando arcessam, mihi.
HARP. quin ubi prandero, dabo operam somno.
PS. sane censeo.
665 HARP. numquid vis?

PS. dormitum ut abeas.
 HARP. abeo.
 PS. atque audin, Harpage?
 iube sis te operiri: beatus eris, si consudaveris.

SCAENA III.
 PSEUDOLUS

667 PS. Di immortales, conservavit me illic homo adventu
 suo.
 suo viatico redduxit me usque ex errore in viam.
 nam ipsa mi Opportunitas non potuit opportunius
 670 advenire quam haec allata mi opportune epistula.
 nam haec allata cornu copiaest, ubi inest quidquid volo:
 hic doli, hic fallaciae omnes, hic sunt sycophantiae,
 hic argentum, hic amica amanti erili filio.
 atque ego nunc me ut gloriosum faciam et copi pectore:
 675 quo modo quicque agerem, ut lenoni surruperem
 mulierculam,
 iam instituta ornata cuncta in ordine, animo ut volueram,
 certa deformata habebam; sed profecto hoc sic erit:
 centum doctum hominum consilia sola haec devincit
 dea,
 Fortuna. atque hoc verum est: proinde ut quisque
 Fortuna utitur,
 680 ita praecelet atque exinde sapere eum omnes dicimus.
 bene ubi quoi scimus consilium accidisse, hominem
 catum
 eum esse declaramus, stultum autem illum quoi vortit
 male.
 stulti hau scimus, frustra ut simus, quom quid cupienter
 dari
 petimus nobis, quasi quid in rem sit possimus noscere.
 certa mittimus, dum incerta petimus; atque hoc evenit
 685 in labore atque in dolore, ut mors obrepat interim.
 sed iam satis est philosophatum. nimis diu et longum
 loquor.
 di immortales, aurichalco contra non carum fuit
 meum mendacium, hic modo quod subito commentus
 fui,

690 quia lenonis me esse dixi. nunc ego hac epistula
 tris deludam, erum et lenonem et qui hanc dedit mi
 epistulam.
 euge, par pari aliud autem quod cupiebam contigit:
 venit eccum Calidorus, ducit nescio quem secum simul.

SCAENA IV.

CALIDORUS. CHARINUS. PSEUDOLUS

694 CALIDORUS
 Dulcia atque amara apud te sum elocutus omnia:
 695 scis amorem, scis laborem, scis egestatem meam.
 CHARINUS
 commemori omnia: id tu modo, me quid vis facere, fac
 sciam.
 [CAL. quom haec tibi alia sum elocutus, vix rem scis de
 symbolo.
 CHAR. omnia, inquam. tu modo quid me facere vis fac ut
 sciam.]
 CAL. Pseudolus mi ita imperavit, ut aliquem hominem
 strenuom
 benevolentem adducerem ad se.
 CHAR. servas imperium probe;
 nam et amicum et benevolentem ducis. sed istic
 Pseudolus
 700 CAL. nimium est mortalis graphicus, †heures mihi est.
 is mihi haec sese efecturum dixit quae dixi tibi.
 PS. magnufice hominem compellabo.
 CAL. quoa vox resonat?
 PS. io,
 io te te, turanne, te te ego, qui imperitas Pseudolo,
 quaero, quoi ter trina triplicia, tribus modis tria gaudia,
 705 artibus tribus tris demeritas dem laetitias, de tribus
 fraude partas per malitiam et per dolum et fallaciam;
 in libello hoc obsignato ad te attuli pauxillulo.
 CAL. illic homost.
 CHAR. ut paratragoedat carnufex.
 PS. confer gradum
 contra pariter, porge audacter ad salutem bracchium.

710 CAL. dic utrum Spemne an Salutem te salutem, Pseudole?
 PS. immo utrumque.
 CHAR. utrumque, salve. sed quid actumst?
 PS. quid times?
 CAL. attuli hunc.
 PS. quid, attulisti?
 CAL. adduxi volui dicere.
 PS. quis istic est?
 CAL. Charinus.
 PS. euge. iam χάριν τούτῳ ποιοῦ.
 CHAR. quin tu si quid opust, mi audacter imperas?
 PS. tam gratiast.
 bene sit tibi, Charine. nolo tibi molestos esse nos.
 715 CHAR. vos molestos mihi? molestumst mi id quidem.
 PS. tum igitur mane.
 CAL. quid istuc est?
 PS. epistulam modo hanc intercepti et sumbolum.
 CAL. sumbolum? quem sumbolum?
 PS. qui a milite allatust modo.
 eius servos qui hunc ferebat cum quinque argenti minis,
 tuam qui amicam hinc arcessebat, ei os sublevi modo.
 720 CAL. quo modo?
 PS. horum causa haec agitur spectatorum fabula:
 hi sciunt, qui hic adfuerunt; vobis post narravero.
 CAL. quid nunc agimus?
 PS. liberam hodie tuam amicam amplexabere.
 CAL. egone?
 PS. tu istic ipsus, inquam, si quidem hoc vivet caput;
 si modo mihi hominem invenietis propere.
 CHAR. qua facie?
 PS. malum,
 725 callidum, doctum, qui quando principium prehenderit,
 porro sua virtute teneat quid se facere oporteat;
 atque qui hic non visitatus saepe sit.
 CHAR. si servos est,
 numquid refert?
 PS. immo multo mavolo quam liberum.

CHAR. posse opinor me dare hominem tibi malum et doctum
 domo,
 730 qui a patre advenit Carysto nec dum exiit ex aedibus
 quoquam neque Athenas advenit umquam ante
 hesternum diem.
 PS. bene iuvas. sed quinque inventis opus est argenti minis
 mutuis, quas hodie reddam: nam huius mihi debet pater.
 CHAR. ego dabo, ne quaere aliunde.
 PS. o hominem opportunum mihi.
 735 etiam opust chlamyde et machaera et petaso.
 CHAR. possum a me dare.
 PS. di immortales, non Charinus mihi hic quidem, sed
 Copiast.
 sed istic servos, ex Carysto qui hic adest, ecquid sapit?
 CHAR. hircum ab alis.
 PS. manuleatam tunicam habere hominem addecet.
 ecquid is homo habet aceti in pectore?
 CHAR. atque acidissimi.
 740 PS. quid, si opus sit ut dulce promat indidem, ecquid habet?
 CHAR. rogas?
 murrinam, passum, defrutum, mellam, mel quoivismodi;
 quin in corde instruere quondam coepit pantopolium.
 PS. eugepae, lepide, Charine, meo me ludo lamberas.
 sed quid nomen esse dicam ego isti servo?
 CHAR. Simiae.
 745 PS. scitne in re advorsa vorsari?
 CHAR. turbo non aequo citust.
 PS. ecquid argutust?
 CHAR. malorum facinorum saepissime.
 PS. quid cum manifesto tenetur?
 CHAR. anguillast, elabitur.
 PS. ecquid is homo scitust?
 CHAR. plebi scitum non est scitius.
 PS. probus homo est, ut praedicare te audio.
 CHAR. immo si scias,
 750 ubi te aspexerit, narrabit ultro quid sese velis.
 sed quid es acturus?

PUBLIUS TERENTIUS AFER

Публий Теренций Афр (ок. 195–159 гг. до н. э.) – римский комедиограф, выходец из Африки, вольноотпущенник римского сенатора Гая Теренция Лукана. Общался со многими знатными римлянами: Сципионом Африканским Младшим, Гаем Лелием и др. Был хорошо образован, прекрасно владел латинским языком.

Теренций мастерски развивал жанр новоаттической комедии. До нас дошло шесть его комедий: «Девушка с Андроса», «Свекровь», «Самоистязатель», «Формион», «Евнух» и «Братья». В отличие от Тита Макция Плавта, его произведения написаны элегантным латинским языком и начисто лишены вульгаризмов и просторечий. Большое влияние на творчество Теренция оказал древнегреческий комедиограф Менандр.

Латинским языком писателя восхищались св. Августин и св. Иероним. Его пьесы как в оригинале, так и в переводах ставили на сцене в эпоху Ренессанса и в XVIII в., а также изучали в школах в качестве образца тщательно обработанной латыни. Особенно почитал комедиографа Мольер, считая его своим духовным наставником. Теренцию принадлежит известное крылатое выражение «*Homo sum, humani nihil a me alienum puto*» – «Я человек, и ничто человеческое мне не чуждо».

ADELPHOE*

PROLOGUS

- 1 Postquam poeta sensit scripturam suam
 ab iniquis observari, et advorsarios
 rapere in peiorem partem quam acturi sumus,
 indicio de se ipse erit, vos eritis iudices
5 laudin an vitio duci factum oporteat.
 Synapothnescontes Diphili comoedias:
 eam Commorientis Plautus fecit fabulam.
 in Graeca adulescens est qui lenoni eripit
 meretricem in prima fabula: eum Plautus locum

* Фрагменты комедии «Братья» приводятся по изданию: P. Terenti Afri Comoediae / ed. R. Kauer, W. M. Lindsay, O. Skutsch. Oxford, 1958.

10 reliquit integrum, eum hic locum sumpsit sibi
in Adelpbos, verbum de verbo expressum extulit.
eam nos acturi sumus novam: pernoscite
furtumne factum existumetis an locum
reprehensum qui praeteritus neglegentiast.
15 nam quod isti dicunt malevoli, homines nobilis
hunc adiutare adsidueque una scribere,
quod illi maledictum vehemens esse existumant,
eam laudem hic ducit maxumam quom illis placet
qui vobis univorsis et populo placent,
20 quorum opera in bello in otio in negotio
suo quisque tempore usust sine superbia.
dehinc ne exspectetis argumentum fabulae,
senes qui primi venient ei partem aperient,
in agendo partem ostendent. facite aequanimitas
25 poetae ad scribendum augeat industriam.

ACTUS PRIMUS

SCAENA I.

MICIO

MICIO SENEX

26 Storax! – non rediit hac nocte a cena Aeschinus
neque servolorum quisquam qui advorsum ierant.
profecto hoc vere dicunt: si absis uspiam
aut ibi si cesses, evenire ea satius est
30 quae in te uxor dicit et quae in animo cogitat
irata quam illa quae parentes propitii.
uxor, si cesses, aut te amare cogitat
aut tete amari aut potare atque animo obsequi
et tibi bene esse soli, quom sibi sit male.
35 ego quia non rediit filius quae cogito et
quibus nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit
aut uspiam ceciderit aut praefregerit
aliquid. vah quemquamne hominem in animo
instituere aut
parare quod sit carius quam ipsest sibi!

40 atque ex me hic natus non est sed ex fratre. is adeo
dissimili studiosi iam inde ab adolescentia:
ego hanc clementem vitam urbanam atque otium
secutus sum et, quod fortunatum isti putant,
uxorem, numquam habui. ille contra haec omnia:
45 ruri agere vitam; semper parce ac duriter
se habere; uxorem duxit; nati filii
duo; inde ego hunc maiorem adoptavi mihi;
eduxi a parvulo; habui amavi pro meo;
in eo me oblecto, solum id est carum mihi.
50 ille ut item contra me habeat facio sedulo:
do praetermitto, non necesse habeo omnia
pro meo iure agere; postremo, alii clanculum
patres quae faciunt, quae fert adolescentia,
ea ne me celet consuefecit filium.
55 nam qui mentiri aut fallere institerit patrem aut
audebit, tanto magis audebit ceteros.
pudore et liberalitate liberos
retinere satius esse credo quam metu.
haec fratri mecum non conveniunt neque placent.
60 venit ad me saepe clamitans «quid agis, Micio?
quor perdis adolescentem nobis? quor amat?
quor potat? quor tu his rebus sumptum suggeris,
vestitu nimio indulges? nimium ineptus es».
nimium ipse durus praeter aequomque et bonum,
65 et errat longe mea quidem sententia
qui imperium credat gravius esse aut stabilius
vi quod fit quam illud quod amicitia adiungitur.
mea sic est ratio et sic animum induco meum:
malo coactus qui suum officium facit,
70 dum id rescitum iri credit, tantisper cavet;
si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.
ille quem beneficio adiungas ex animo facit,
studet par referre, praesens absensque idem erit.
hoc patriumst, potius consuefacere filium
75 sua sponte recte facere quam alieno metu:
hoc pater ac dominus interest. hoc qui nequit
fateatur nescire imperare liberis.

80 sed estne hic ipse de quo agebam? et certe is est.
nescio quid tristem video: credo, iam ut solet
iurgabit. salvom te advenire, Demea,
gaudemus.

SCAENA II.
DEMEA. MICIO

DEMEA SENEX

81 Ehem opportune: te epsum quaerito
MI. quid tristis es?
DE. rogas me ubi nobis Aeschinus
siet? quid tristis ego sum?
MI. dixin hoc fore?
quid fecit?
DE. quid ille fecerit? quem neque pudet
85 quicquam neque metuit quemquam neque legem putat
tenere se ullam. nam illa quae antehac facta sunt
omitto: modo quid dissignavit?
MI. quidnam id est?
DE. fores effregit atque in aedis inruit
alienas; ipsum dominum atque omnem familiam
90 mulcavit usque ad mortem; eripuit mulierem
quam amabat: clamant omnes indignissime
factum esse. hoc advenienti quot mihi, Micio,
dixere! in orest omni populo. denique,
si conferendum exemplumst, non fratrem videt
95 rei dare operam, ruri esse parcum ac sobrium?
nullum huius simile factum. haec quom illi, Micio,
dico, tibi dico: tu illum corrumpi sinis.
MI. homine imperito numquam quicquam iniustiust,
qui nisi quod ipse fecit nil rectum putat.
100 DE. quorsum istuc?
MI. quia tu, Demea, haec male iudicas.
non est flagitium, mihi crede, adolescentulum
scortari neque potare: non est; neque fores
effringere. haec si neque ego neque tu fecimus,
non siit egestas facere nos. tu nunc tibi

105 id laudi ducis quod tum fecisti inopia?
 iniuriumst; nam si esset unde id fieret,
 faceremus. et tu illum tuom, si esses homo,
 sineres nunc facere dum per aetatem decet
 potius quam, ubi te exspectatum eiecisset foras,
 110 alieniore aetate post faceret tamen.
 DE. pro Iuppiter, tu homo adigis me ad insaniam!
 non est flagitium facere haec adulescentulum?
 MI. ah
 ausculta, ne me optundas de hac re saepius:
 tuom filium dedisti adoptandum mihi;
 115 is meus est factus: siquid peccat, Demea,
 mihi peccat; ego illi maxumam partem fero.
 opsonat potat, olet unguenta: de meo;
 amat: dabitur a me argentum dum erit commodum;
 ubi non erit fortasse excludetur foras.
 120 fores effregit: restituentur; discidit
 vestem: resarcietur; et – dis gratia –
 est unde haec fiant, et adhuc non molesta sunt.
 postremo aut desine aut cedo quemvis arbitrum:
 te plura in hac re peccare ostendam.
 DE. ei mihi,
 125 pater esse disce ab aliis qui vere sciunt.
 MI. natura tu illi pater es, consiliis ego.
 DE. tun consulis quicquam?
 MI. ah, si pergis, abiero.
 DE. sicin agis?
 MI. an ego totiens de eadem re audiam?
 DE. curaest mihi.
 MI. et mihi curaest. verum, Demea,
 130 curemus aequam uterque partem: tu alterum,
 ego item alterum; nam ambos curare propemodum
 repscere illumst quem dedisti.
 DE. ah Micio!
 MI. mihi sic videtur.
 DE. quid istic? si tibi istuc placet,
 profundat perdat pereat; nil ad me attinet.
 135 iam si verbum unum posthac.
 MI. rursus, Demea,
 irascere?

DE. an non credis? repeto quem dedi?
aegrest; alienus non sum; si obsto. hem desino.
unum vis curem: curo; et est dis gratia
quom ita ut volo est. iste tuos ipse sentiet
140 posterius: nolo in illum gravius dicere.

MI. nec nil neque omnia haec sunt quae dicit: tamen
non nil molesta haec sunt mihi; sed ostendere
me aegre pati illi nolui. nam itast homo:
quom placo, advorsor sedulo et deterreo;
145 tamen vix humane patitur; verum si augeam
aut etiam adiutor siem eius iracundiae,
insaniam profecto cum illo. etsi Aeschinus
non nullam in hac re nobis facit iniuriam.
quam hic non amavit meretricem? aut quoi non dedit
150 aliquid? postremo nuper (credo iam omnium
taedebat) dixit velle uxorem ducere.
sperabam iam defervisse adulescentiam:
gaudebam. ecce autem de integro! nisi, quidquid est,
volo scire atque hominem convenire, si apud forumst.

ACTUS SECUNDUS

SCAENA I.

SANNIO. AESCHINUS. (PARMENO. BACCHIS)

SANNIO LENO

155 Obsecro, populares, ferte misero atque innocenti
auxilium,
subvenite inopi.

AESCHINUS ADULESCENS

156 otiose: nunciam ilico hic consiste.
quid respectas? nil periclist: numquam dum ego
adereo hic te tanget.

SA. ego istam invitis omnibus.

AE. quamquamst scelestus non committet hodie umquam
iterum ut vapulet.

160 SA. Aeschine, audi ne te ignarum fuisse dicas meorum
morum:
leno ego sum.

AE. scio.

SA. at ita ut usquam fuit fide quisquam
optuma.

tu quod te posterius purges hanc iniuriam mi nolle
 factam esse, huius non faciam. crede hoc, ego meum
 ius persequar
 neque tu verbis solves umquam quod mihi re
 male feceris.
 165 novi ego vostra haec: «nollem factum: iusiurandum
 dabitur te esse
 indignum iniuria hac» – indignis quom egomet sim
 acceptus modis.
 AE. abi prae strenue ac fores aperi.
 SA. ceterum hoc nihili facis?
 AE. i intro nunciam.
 SA. enim non sinam.
 AE. accede illuc, Parmeno
 (nimium istoc abisti), hic propter hunc adsiste: em sic
 volo.
 170 cave nunciam oculos a meis oculis quoquam
 demoveas tuos
 ne mora sit, si innuerim, quin pugnus continuo in mala
 haereat.
 SA. istuc volo ergo ipsum experiri.
 AE. em serva: omitte
 mulierem.
 SA. o facinus indignum!
 AE. geminabit nisi caves.
 SA. ei, miseriam!
 AE. non innueram; verum in istam partem potius
 peccato tamen.
 175 i nunciam.
 SA. quid hoc reist? regnumne, Aeschine, hic tu
 possides?
 AE. si possiderem, ornatus esses ex tuis virtutibus.
 SA. quid tibi rei mecumst?
 AE. nil.
 SA. quid? nostin qui sim?
 AE. non de-
 sidero.
 SA. tetigin tui quicquam?
 AE. si attigisses, ferres infortunium.

SA. qui tibi magis licet meam habere pro qua ego
 180 responde. argentum dedi?
 AE. ante aedis non fecisse erit melius hic
 convicium;
 nam si molestus pergis esse, iam intro abripiere atque
 ibi
 usque ad necem operiere loris.
 SA. loris liber?
 AE. sic erit.
 SA. o hominem impurum! hicin libertatem aiunt esse
 aequam omnibus?
 AE. si satis iam debacchatus es, leno, audi si vis nunciam.
 185 SA. egon debacchatus sum autem an tu in me?
 AE. mitte ista atque
 ad rem redi.
 SA. quam rem? quo redeam?
 AE. iamne me vis dicere id quod
 ad te attinet?
 SA. cupio, modo aequi aliquid.
 AE. vah leno iniqua me non volt
 loqui.
 SA. leno sum, fateor, pernicies communis adolescentium,
 perius, pestis; tamen tibi a me nulla est orta iniuria.
 190 AE. nam hercle etiam hoc restat.
 SA. illuc quaeso redi quo
 coepisti, Aeschine.
 AE. minis viginti tu illam emisti (quae res tibi vortat male!):
 argenti tantum dabitur.
 SA. quid si ego tibi illam nolo
 vendere?
 coges me?
 AE. minime.
 SA. namque id metui.
 AE. neque vendendam
 censeo
 quae liberast; nam ego liberali illam adsero causa manu.
 195 nunc vide utrum vis, argentum accipere an causam
 meditari tuam.
 delibera hoc dum ego redeo, leno.

SA. pro supreme Iuppiter,
 minime miror qui insanire occipiunt ex iniuria.
 domo me eripuit, verberavit; me invito abduxit meam
 (ob male facta haec tantidem emptam postulat sibi
 tradier);
 200 homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.
 verum enim quando bene promeruit, fiat: suum ius
 postulat.
 age, iam cupio si modo argentum reddat. sed ego hoc
 hariolor:
 ubi me dixerō dare tanti, testis faciet ilico
 vendidisse me; de argento – somnium: «mox; cras
 205 id quoque possum ferre si modo reddat, quamquam
 iniuriumst.
 verum cogito id quod res est: quando eum quaestum
 occeperis,
 accipiunda et mussitanda iniuria adolescentiumst.
 sed nemo dabit: frustra egomet mecum has rationes
 puto.

SCAENA II.
 SYRUS. SANNIO

SYRUS SERVUS
 209 Tace, egomet conveniam iam ipsum: cupide accipiat
 faxo atque etiam
 210 bene dicat secum esse actum. – quid istuc, Sannios
 quod te audio
 nescioquid concertasse cum ero?
 SA. numquam vidi iniquius
 certationem comparatam quam haec hodie inter nos fuit:
 ego vapulando, ille verberando, usque ambo defessi
 sumus.
 SY. tua culpa.
 SA. quid agerem?
 SY. adolescenti morem gestum
 oportuit.
 215 SA. qui potui melius qui hodie usque os praebui?

SY. age, scis
 quid loquar:
 pecuniam in loco negligere maxumum interdumst
 lucrum. hui
 metuisti, si nunc de tuo iure concessisses paullulum
 atque
 adulescenti esses morigeratus, hominum homo
 stultissime,
 ne non tibi istuc feneraret?
 SA. ego spem pretio non emo.
 220 SY. numquam rem facies: abi, nescis inescare homines,
 Sannio.
 SA. credo istuc melius esse; verum ego numquam adeo
 astutus fui
 quin quidquid possem malletm auferre potius in
 praesentia.
 SY. age, novi tuom animum: quasi iam usquam tibi sint
 viginti minae
 dum huic obsequare; praeterea autem te aiunt
 proficisci Cyprum.
 SA. hem.
 225 SY. coemisse hinc quae illuc veheres multa, navem
 conductam: hoc, scio,
 animus tibi pendet. ubi illinc, spero, redieris tamen, hoc
 ages.
 SA. nusquam pedem! perii hercle: hac illi spe hoc
 inceperunt.
 SY. timet:
 inieci scrupulum homini.
 SA. o scelera: illuc vide
 230 ut in ipso articulo oppressit. emptae mulieres
 complures et item hinc alia quae porto Cyprum.
 nisi eo ad mercatum venio, damnum maxumumst.
 nunc si hoc omitto – actum agam ubi illinc rediero;
 nil est; refrixerit res – «nunc demum venis?
 235 quor passuss? ubi eras?» – ut sit satius perdere
 quam hic nunc manere tam diu aut tum persequi.
 SY. iamne enumerasti quot ad te rediturum putes?
 SA. hoccin illo dignumst? hoccin incipere Aeschinum,
 per oppressionem ut hanc mi eripere postulet!
 SY. labascit: unum hoc habeo. vide si satis placet:

240 potius quam venias in periculum, Sannio,
 servesne an perdas totum, dividuom face;
 minas decem conradet alicunde.

SA. ei mihi,
 etiam de sorte nunc venio in dubium miser?
 pudet nil? omnis dentis labefecit mihi,
 245 praeterea colaphis tuber est totum caput:
 etiam insuper defraudet? nusquam abeo.

SY. ut lubet.
 numquid vis quin abeam?

SA. immo hercle hoc quaeso, Syre:
 utut haec sunt acta, potius quam litis sequar,
 meum mihi reddatur saltem quanti emptast, Syre.
 250 scio te non usum antehac amicitia mea:
 memorem me dices esse et gratum.

SY. sedulo
 faciam. sed Ctesiphonem video: laetus est
 de amica.

SA. quid quod te oro?
 SY. paullisper mane.

SCAENA III.

CTESIPHO. SANNIO. SYRUS

CTESIPHO ADULESCENS

254 Abs quivis homine, quom est opus, beneficium
 accipere gaudeas;

255 verum enimvero id demum iuvat si quem aequomst
 facere is bene facit.
 o frater, frater, quid ego nunc te laudem? satis certo
 scio,
 numquam ita magnifice quicquam dicam id virtus quin
 superet tua.
 itaque unam hanc rem me habere praeter alios
 praecipuam arbitror,
 fratrem, hominem neminem esse primarum artium mage
 principem.

260 SY. o Ctesipho.
 CT. o Syre, Aeschinus ubist?

SY. ellum, te
exspectat domi.
CT. hem.
SY. quid est?
CT. quid sit? illius opera, Syre, nunc vivo. festivom
caput;
quin omnia sibi post putarit esse prae meo commodo;
maledicta famam meum laborem et peccatum in se
transtulit.
nil pote supra. quidnam foris crepuit?
SY. mane mane: ipse
exit foras. <...>

MARCUS TULLIUS CICERO

Марк Туллий Цицерон (106–43 гг. до н. э.) – римский политический деятель, оратор, философ. Родился в г. Арпинум в семье, принадлежавшей к словию всадников. Получил блестящее образование, что позволило ему с успехом заняться ораторской деятельностью. Впервые он выступил в суде еще во времена диктатуры Луция Корнелия Суллы (81 г. до н. э.). С 75 г. до н. э. Цицерон начинает политическую карьеру в должности квестора на Сицилии и успешно развивает ее, становясь последовательно курульным эдилом в 69 г. до н. э., претором – в 66 г. до н. э., консулом – в 63 г. до н. э. Большую славу Цицерону как политику принесло раскрытие и подавление им заговора Луция Сергия Катилины, возникшего в год его консульства. Во время гражданской войны между Гаем Юлием Цезарем и Гнеем Помпеем Цицерон встал на сторону последнего. После поражения помпеянцев он получил амнистию Цезаря и вернулся в Рим в 49 г. до н. э. С этого времени Цицерон посвятил себя исключительно литературно-научной деятельности. После убийства Цезаря в 44 г. до н. э. он активно поддержал республиканцев и выступил на стороне сената и Октавиана Августа против устремления Марка Антония к единоличной власти. Примирение Октавиана с Марком Антонием и создание второго триумvirата (Октавиан Август, Марк Антоний и Марк Лепид) в 43 г. до н. э. имело для Цицерона фатальные последствия. Он был внесен в проскрипционные списки и вместе с братом Квинтом убит солдатами Марка Антония в 43 г. до н. э.

Литературное наследие Цицерона весьма обширно и включает судебные речи, ораторские и философские трактаты, а также письма.

IN CATILINAM

ORATIO PRIMA

QUA L. CATILINAM EMISIT IN SENATU HABITA*

- 1 (1) Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic

* «Первая речь против Катилины» приводится по изданию: M. Tulli Ciceronis Orationes / ed. A. C. Clark. Oxford, 1905. Vol. 1.

5 munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora voltusque
moverunt? patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum
omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? quid proxima,
quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consili
10 ceperis quem nostrum ignorare arbitraris? (2) o tempora, o mores!
senatus haec intellegit, consul videt; hic tamen vivit. vivit? immo vero
etiam in senatum venit, fit publici consili particeps, notat et designat
oculis ad caedem unum quemque nostrum. nos autem fortes viri satis
facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitamus. ad
mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te
15 conferri pestem quam tu in nos omnis iam diu machinaris. (3) an vero
vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum
mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit:
Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos
consules perferemus? nam illa nimis antiqua praetereo, quod
20 C. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit.
fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus ut viri fortes acrioribus
suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coercerent.
habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave, non
deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis: nos, nos,
25 dico aperte, consules desumus. (4) decrevit quondam senatus uti
L. Opimius consul videret ne quid res publica detrimenti caperet: nox
nulla intercessit: interfectus est propter quasdam seditionum
suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus, occisus est
cum liberis M. Fulvius consularis. simili senatus consulto C. Mario et
30 L. Valerio consulibus est permissa res publica: num unum diem postea
L. Saturninum tribunum plebis et C. Servilium praetorem mors ac rei
publicae poena remorata est? at vero nos vicesimum iam diem patimur
hebescere aciem horum auctoritatis. habemus enim eius modi senatus
consultum, verum inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum,
35 quo ex senatus consulto confestim te interfectum esse, Catilina,
convenit. vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam
audaciam. cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis
rei publicae periculis non dissolutum videri, sed iam me ipse inertiae
nequitiaeque condemno. (5) castra sunt in Italia contra populum
40 Romanum in Etruriae faucibus conlocata, crescit in dies singulos
hostium numerus; eorum autem castrorum imperatorem ducemque
hostium intra moenia atque adeo in senatu videtis intestinam aliquam
cotidie perniciem rei publicae molientem. si te iam, Catilina,
comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi ne non hoc
45 potius omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse

dicat. verum ego hoc quod iam pridem factum esse oportuit certa de
causa nondum adducor ut faciam. tum denique interficere, cum iam
nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit qui id
non iure factum esse fateatur. (6) quam diu quisquam erit qui te
50 defendere audeat, vives, et vives ita ut nunc vivis, multis meis et firmis
praesidiis obsessus ne commovere te contra rem publicam possis.
multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt,
speculabuntur atque custodient.

Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox
55 tenebris obscurare coetus nefarios nec privata domus parietibus continere
voces coniurationis tuae potest, si inlustrantur, si erumpunt omnia? muta
iam istam mentem, mihi crede, obliviscere caedis atque incendiorum.
teneris undique; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quae iam
mecum licet recognoscas. (7) meministine me ante diem XII Kal.
60 Novembris dicere in senatu fore in armis certo die, qui dies futurus esset
ante diem VI Kal. Novembris, C. Manlium, audaciae satellitem atque
administram tuam? num me fefellit, Catilina, non modo res tanta tam
atrox tamque incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum,
dies? dixi ego idem in senatu caedem te optimatum contulisse in ante
65 diem V Kal. Novembris, tum cum multi principes civitatis Roma non tam
sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa
profugerunt. num infitiamur tibi te illo ipso die meis praesidiis, mea
diligentia circumclusum commovere te contra rem publicam non
potuisse, cum tu discessu ceterorum nostra tamen qui remansissemus
70 caede contentum te esse dicebas? (8) quid? cum te Praeneste Kal. ipsis
Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistin
illam coloniam meo iussu meis praesidiis, custodiis, vigiliis esse
munitam? nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas quod <non> ego non
modo audiam sed etiam videam planeque sentiam. recognosce mecum
75 tandem noctem illam superiorem; iam intelleges multo me vigilare acrius
ad salutem quam te ad perniciem rei publicae. dico te priore nocte venisse
inter falcarios – non agam obscure – in M. Laecae domum; convenisse
eodem compluris eiusdem amentiae scelerisque socios. num negare
audes? quid taces? convincam, si negas. video enim esse hic in senatu
80 quosdam qui tecum una fuerunt. (9) o di immortales! ubinam gentium
sumus? quam rem publicam habemus? in qua urbe vivimus? hic, hic sunt
in nostro numero, patres conscripti, in hoc orbis terrae sanctissimo
gravissimoque consilio, qui de nostro omnium interitu, qui de huius urbis
atque adeo de orbis terrarum exitio cogitent. hos ego video consul et de re
85 publica sententiam rogo, et quos ferro trucidari oportebat, eos nondum

voce volnero! fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina, distribuisti
partis Italiae, statuisti quo quemque proficisci placeret, delegisti quos
Romae relinqueres, quos tecum educeres, discripsisti urbis partis ad
90 incendia, confirmasti te ipsum iam esse exiturum, dixisti paulum tibi esse
etiam nunc morae, quod ego viverem. reperti sunt duo equites Romani
qui te ista cura liberarent et se illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo
lecto interfecturos esse pollicerentur. (10) haec ego omnia vixdum etiam
coetu vestro dimisso comperi; domum meam maioribus praesidiis munivi
atque firmavi, exclusi eos quos tu ad me salutatum mane miseras, cum illi
95 ipsi venissent quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis
venturos esse praedixeram.

Quae cum ita sint, Catilina, perge quo coepisti: egredere aliquando
ex urbe; patent portae; proficiscere. nimium diu te imperatorem tua illa
Manliana castra desiderant. educ tecum etiam omnis tuos, si minus,
100 quam plurimos; purga urbem. magno me metu liberaveris, modo inter
me atque te murus intersit. nobiscum versari iam diutius non potes; non
feram, non patiar, non sinam. (11) magna dis immortalibus habenda est
atque huic ipsi Iovi Statori, antiquissimo custodi huius urbis, gratia,
quod hanc tam taetram, tam horribilem tamque infestam rei publicae
105 pestem totiens iam effugimus. non est saepius in uno homine summa
salus periclitanda rei publicae. quam diu mihi consuli designato,
Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia
defendi. cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et
competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios
110 amicorum praesidio et copiis nullo tumultu publice concitato; denique,
quotienscumque me petisti, per me tibi obstiti, quamquam videbam
perniciem meam cum magna calamitate rei publicae esse coniunctam.
(12) nunc iam aperte rem publicam universam petis, templa deorum
immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam totam ad
115 exitium et vastitatem vocas. qua re, quoniam id quod est primum, et
quod huius imperi disciplinaeque maiorum proprium est, facere nondum
audeo, faciam id quod est ad severitatem lenius, ad communem salutem
utilius. nam si te interfici iussero, residebit in re publica reliqua
coniuratorum manus; sin tu, quod te iam dudum hortor, exieris,
120 exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciose sentina rei
publicae. (13) quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere
quod iam tua sponte faciebas? exire ex urbe iubet consul hostem.
interrogas me, num in exilium? non iubeo, sed, si me consulis, suadeo.

Quid est enim, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in
125 qua nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum qui te non

metuat, nemo qui non oderit. quae nota domesticae turpitudinis non
inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret in fama?
quae libido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod
flagitium a toto corpore afruit? cui tu adolescentulo quem corruptelarum
130 inlecebris inretisses non aut ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem
praetulisti? (14) quid vero? nuper cum morte superioris uxoris novis
nuptiis locum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc
scelus cumulavisti? quod ego praetermitto et facile patior sileri, ne in hac
135 civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse aut non vindicata esse
videatur. praetermitto ruinas fortunarum tuarum quas omnis proximis
Idibus tibi impendere senties: ad illa venio quae non ad privatam
ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac
turpitudinem, sed ad summam rem publicam atque ad omnium nostrum
vitam salutemque pertinent. (15) potestne tibi haec lux, Catilina, aut huius
140 caeli spiritus esse iucundus, cum scias esse horum neminem qui nesciat te
pridie Kal. Ianuarias Lepido et Tullo consulibus stetisse in comitio cum
telo, manum consulum et principum civitatis interficiendorum causa
paravisse, sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum
sed Fortunam populi Romani obstitisse? ac iam illa omitto – neque enim
145 sunt aut obscura aut non multa commissa postea – quotiens tu me
designatum, quotiens vero consulem interficere conatus es! quot ego tuas
petitiones ita coniectas ut vitari posse non viderentur parva quadam
declinatione et, ut aiunt, corpore effugi! nihil agis, nihil adsequeris, neque
tamen conari ac velle desistis. (16) quotiens iam tibi extorta est ista sica
150 de manibus, quotiens excidit casu aliquo et elapsa est! quae quidem
quibus abs te initiata sacris ac devota sit nescio, quod eam necesse putas
esse in consulis corpore defigere.

Nunc vero quae tua est ista vita? sic enim iam tecum loquar, non ut
odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi
155 nulla debetur. venisti paulo ante in senatum. quis te ex hac tanta
frequentia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutavit? si hoc post
hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam,
cum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? quid, quod adventu
tuo ista subsellia vacuefacta sunt, quod omnes consulares qui tibi
160 persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque adsedisti, partem
istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt, quo tandem
animo tibi ferendum putas? (17) servi mehercule mei si me isto pacto
metuerent ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam
putarem: tu tibi urbem non arbitraris? et si me meis civibus iniuria
165 suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me aspectu

civium quam infestis omnium oculis conspici mallet: tu, cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum et iam diu tibi debitum, dubitas quorum mentis sensusque volneras, eorum aspectum praesentiamque vitare? si te parentes timerent atque odissent
170 tui neque eos ratione ulla placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes. nunc te patria, quae communis est parens omnium nostrum, odit ac metuit et iam diu nihil te iudicat nisi de parricidio suo cogitare: huius tu neque auctoritatem verebere nec iudicium sequere nec vim pertimesces? (18) quae tecum, Catilina, sic agit et quodam
175 modo tacita loquitur: «nullum iam aliquot annis facinus exstitit nisi per te, nullum flagitium sine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad neglegendas leges et quaestiones verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen ut potui tuli; nunc vero me totam esse in metu propter unum te, quicquid increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. quam ob rem discede atque hunc mihi timorem eripe; si est verus, ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam».

185 (19) Haec si tecum, ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam si vim adhibere non possit? quid, quod tu te in custodiam dedisti, quod vitandae suspicionis causa ad M'. Lepidum te habitare velle dixisti? a quo non receptus etiam ad me venire ausus es, atque ut domi meae te adservarem rogasti. cum a me quoque id responsum tulisses,
190 me nullo modo posse isdem parietibus tuto esse tecum, quia magno in periculo essem quod isdem moenibus contineremur, ad Q. Metellum praetorem venisti. a quo repudiatum ad sodalem tuum, virum optimum, M. Metellum demigrasti, quem tu videlicet et ad custodiendum te diligentissimum et ad suspicandum sagacissimum et ad vindicandum fortissimum fore putasti. sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere qui se ipse iam dignum custodia iudicavit?

(20) Quae cum ita sint, Catilina, dubitas, si emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras et vitam istam multis suppliciis iustus
debitisque ereptam fugae solitudinique mandare?

200 «Refer, – inquis, – ad senatum»; id enim postulas et, si hic ordo placere sibi decreverit te ire in exsilium, obtemperatum te esse dicis. non referam, id quod abhorret a meis moribus, et tamen faciam ut intellegas quid hi de te sentiant. egredere ex urbe, Catilina, libera rem publicam metu, in exsilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere.
205 quid est? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium?

patiuntur, tacent. quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? (21) at si hoc idem huic adulescenti optimo P. Sestio, si fortissimo viro M. Marcello dixissem, iam mihi consuli hoc ipso in templo senatus iure optimo vim et manus intulisset. 210 de te autem, Catilina, cum quiescunt, probant, cum patiuntur, decernunt, cum tacent, clamant, neque hi solum quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima, sed etiam illi equites Romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre et studia 215 perspicere et voces paulo ante exaudire potuisti. quorum ego vix abs te iam diu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam ut te haec quae vastare iam pridem studes relinquentem usque ad portas prosequantur.

(22) Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat, tu ut umquam te corrigas, tu ut ullam fugam meditare, tu ut ullum exsilium cogites? 220 utinam tibi istam mentem di immortales duint! tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. sed est tanti, dum modo tua ista sit privata calamitas et a rei publicae periculis seiungatur. sed tu ut vitiis 225 tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus rei publicae cedas non est postulandum. neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore revocarit. (23) quam ob rem, ut saepe iam dixi, proficiscere ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium; vix feram 230 sermones hominum, si id feceris, vix molem istius invidiae, si in exsilium iussu consulis iveris, sustinebo. sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu, confer te ad Manlium, concita perditos civis, secerne te a bonis, infer patriae bellum, exsulta impio latrocinio, ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad 235 tuos isse videaris. (24) quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos qui tibi ad forum Aurelium praestolarentur armati, cui sciam pactam et constitutam cum Manlio diem, a quo etiam aquilam illam argenteam quam tibi ac tuis omnibus confido perniciosam ac funestam futuram, cui domi tuae sacrarium sceleratum constitutum fuit, 240 sciam esse praemissam? tu ut illa carere diutius possis quam venerari ad caedem proficiscens solebas, a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti? (25) ibis tandem aliquando quo te iam pridem tua ista cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat; neque enim tibi haec res adfert dolorem, sed quandam incredibilem 245 voluptatem. ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit,

fortuna servavit. numquam tu non modo otium sed ne bellum quidem nisi nefarium concupisti. nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna verum etiam spe derelictis conflata improborum manum. (26) hic tu qua laetitia perfruere, quibus gaudiis exsultabis, quanta in voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam neque videbis! ad huius vitae studium meditati illi sunt qui feruntur labores tui, iacere humi non solum ad obsidendum stuprum verum etiam ad facinus obeundum, vigilare non solum insidiantem somno maritorum verum etiam bonis otiosorum. habes ubi ostentes tuam illam praeclaram patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium quibus te brevi tempore confectum esse senties. (27) tantum profeci, cum te a consulatu reppuli, ut exsul potius temptare quam consul vexare rem publicam posses, atque ut id quod esset a te scelerate susceptum latrocinium potius quam bellum nominaretur.

Nunc, ut a me, patres conscripti, quandam prope iustam patriae querimoniam detester ac deprecer, percipite, quaeso, diligenter quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. etenim si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis res publica loquatur: «M. Tulli, quid agis? tune eum quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem coniurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire pati, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? nonne hunc in vincla duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? quid tandem te impedit? mosne maiorum? (28) at persaepe etiam privati in hac re publica perniciosos civis morte multarunt. an leges quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? at numquam in hac urbe qui a re publica defecerunt civium iura tenuerunt. an invidiam posteritatis times? praeclaram vero populo Romano refers gratiam qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum tam mature ad summum imperium per omnis honorum gradus extulit, si propter invidiam aut alicuius periculi metum salutem civium tuorum neglegis. (29) sed si quis est invidiae metus, non est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia quam inertiae ac nequitiae pertimescenda. an, cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum?»

His ego sanctissimis rei publicae vocibus et eorum hominum qui hoc idem sentiunt mentibus pauca respondebo. ego, si hoc optimum factu iudicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari, unius usuram horae

gladiatori isti ad vivendum non dedissem. etenim si summi viri et clarissimi cives Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt sed etiam honestarunt, certe verendum mihi non erat ne quid hoc parricida civium
290 interfecto invidiae mihi in posteritatem redundaret. quod si ea mihi maxime impenderet, tamen hoc animo fui semper ut invidiam virtute partam gloriam, non invidiam putarem. (30) quamquam non nulli sunt in hoc ordine qui aut ea quae imminent non videant aut ea quae vident dissimulent; qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt
295 coniurationemque nascentem non credendo conrobaverunt; quorum auctoritate multi non solum improbi verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. nunc intellego, si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum qui non fateatur. hoc autem uno interfecto intellego hanc rei publicae pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. quod si sese eiecerit secumque suos eduxerit et eodem ceteros undique conlectos naufragos adgregarit, exstinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta rei publicae pestis verum etiam stirps ac semen malorum omnium.
300 (31) etenim iam diu, patres conscripti, in his periculis coniurationis insidiisque versamur, sed nescio quo pacto omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. nunc si ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati, periculum autem residebit et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus rei publicae. ut saepe homines aegri morbo gravi, cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberunt, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque adflctantur, sic hic morbus qui est in re publica relevatus istius poena vehementius reliquis vivis ingravescet. (32) qua re secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur, muro denique, quod saepe iam dixi, secernantur a nobis; desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare; sit denique inscriptum in fronte unius cuiusque quid de re publica sentiat. polliceor hoc
310 vobis, patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem ut Catilinae protectione omnia patefacta, inlustrata, oppressa, vindicata esse videatis.

315 (33) Hisce ominibus, Catilina, cum summa rei publicae salute, cum
325 tua peste ac pernicie cumque eorum exitio qui se tecum omni scelere

parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. tu, Iuppiter, qui isdem quibus haec urbs auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem huius urbis atque imperi vere nominamus, hunc et huius socios a tuis ceterisque templis, a tectis urbis ac
330 moenibus, a vita fortunisque civium omnium arcebis et homines bonorum inimicos, hostis patriae, latrones Italiae scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

EPISTULAE AD ATTICUM*

LIBER PRIMUS

XIX

CICERO ATTICO SAL.

1 (1) Non modo si mihi tantum esset oti quantum est tibi, verum etiam si tam brevis epistulas vellem mittere quam tu soles, facile te superare et in scribendo multo essem crebrior quam tu. sed ad
5 summas atque incredibilis occupationes meas accedit quod nullam a me volo epistulam ad te sine aliquo argumento ac sententia pervenire. et primum tibi, ut aequum est civi amanti patriam, quae sint in re publica exponam; deinde, quoniam nos amore tibi proximi sumus, scribemus etiam de nobis ea quae scire te non nolle arbitramur.

10 (2) Atque in re publica nunc quidem maxime Gallici belli versatur metus. nam Haedui, fratres nostri, pugnam nuper malam pugnarunt, et <Helvetii> sine dubio sunt in armis excursionesque in provinciam faciunt. senatus decrevit ut consules duas Gallias sortirentur, dilectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum auctoritate mitterentur qui adirent Galliae civitates darentque operam ne eae se cum Helvetiis
15 coniungerent. legati sunt Q. Metellus Creticus et L. Flaccus et, τὸ ἐπὶ τῆ φακῆ μύρον, Lentulus, Clodiani filius. (3) atque hoc loco illud non queo praeterire, quod, cum de consularibus mea prima sors exisset, una voce senatus frequens retinendum me in urbe censuit. hoc idem post me Pompeio accidit, ut nos duo quasi pignora rei publicae retineri
20 videremur. quid enim ego aliorum in me ἐπιφωνήματα exspectem cum haec domi nascentur?

* Фрагмент «Писем к Аттику» приводится по изданию: Cicero's Letters to Atticus / ed. D. R. Shackleton Bailey. Cambridge, 1965–1968.

(4) Urbanae autem res se sic habent. agraria lex a Flavio tribuno pl. vehementer agitabatur auctore Pompeio, quae nihil populare habebat praeter actorem. ex hac ego lege secunda contionis voluntate omnia illa
25 tollebam quae ad privatorum incommodum pertinebant; liberabam agrum eum qui P. Mucio L. Calpurnio consulibus publicus fuisset; Sullanorum hominum possessiones confirmabam; Volaterranos et Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat neque diviserat, in sua possessione retinebam; unam rationem non reiciebam, ut ager hac
30 adventicia pecunia emeretur quae ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur. huic toti rationi agrariae senatus adversabatur, suspicans Pompeio novam quandam potentiam quaeri; Pompeius vero ad voluntatem perferendae legis incubuerat. ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum
35 possessiones; is enim est noster exercitus, hominum, ut tute scis, locupletium. populo autem Pompeioque (nam id quoque volebam) satis faciebam emptione, qua constituta diligenter et sentinam urbis exhauriri et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar. sed haec tota res interpellata bello refrixerat. Metellus est consul sane bonus et nos admodum diligit. ille alter nihil ita est ut plane quid emerit nesciat.
40

(5) Haec sunt in re publica, nisi etiam illud ad rem publicam putas pertinere, Herennium quandam, tribunum pl., tribunum tuum, sane hominem nequam atque egentem, saepe iam de P. Clodio ad plebem traducendo agere coepisse. huic frequenter interceditur. haec sunt, ut
45 opinor, in re publica.

(6) Ego autem, ut semel Nonarum illarum Decembrium iunctam invidia ac multorum inimicitiiis eximiam quandam atque immortalem gloriam consecutus sum, non destiti eadem animi magnitudine in re publica versari et illam institutam ac susceptam dignitatem tueri; sed
50 postea quam primum Clodi absolute levitatem infirmitatemque iudiciorum perspexi, deinde vidi nostros publicanos facile a senatu disiungi, quamquam a me ipso non divellerentur, tum autem beatos homines, hos piscinarios dico, amicos tuos, non obscure nobis invidere, putavi mihi maiores quasdam opes et firmiora praesidia esse
55 quaerenda. (7) itaque primum eum qui nimium diu de rebus nostris tacuerat, Pompeium, adduxi in eam voluntatem ut in senatu non semel sed saepe multisque verbis huius mihi salutem imperi atque orbis terrarum adiudicaret. quod non tam interfuit mea (neque enim illae res aut ita sunt obscurae ut testimonium aut ita dubiae ut laudationem
60 desiderent) quam rei publicae, quod erant quidam improbi qui contentionem fore aliquam mihi cum Pompeio ex rerum illarum dissensione arbitrarentur. cum hoc ego me tanta familiaritate coniunxi

ut uterque nostrum in sua ratione munitior et in re publica firmior hac
coniunctione esse possit. (8) odia autem illa libidinosae ac delicatae
65 iuventutis quae erant in me incitata, sic mitigata sunt comitate quadam
mea me unum ut omnes illi colant. nihil iam denique a me asperum in
quemquam fit, nec tamen quicquam populare ac dissolutum, sed ita
temperata tota ratio est ut rei publicae constantiam praestem, privatis
70 meis rebus propter infirmitatem bonorum, iniquitatem malevolorum,
odium in me improborum adhibeam quandam cautionem et
diligentiam; atque ita tamen [si] his novis amicitiiis implicati sumus ut
crebro mihi vafer ille Siculus insusurret Epicharmus cantilenam illam
suam, «νᾶφε καὶ μέμνασ' ἀπιστεῖν. ἄρθρα ταῦτα τᾶν φρενῶν». ac
nostrae quidem rationis ac vitae quasi quandam formam, ut opinor,
75 vides.

(9) De tuo autem negotio saepe ad me scribis; cui mederi nunc
non possumus. est enim illud senatus consultum summa pedariorum
voluntate, nullius nostrum auctoritate factum. nam quod me esse ad
scribendum vides, ex ipso senatus consulto intellegere potes aliam
80 rem tum relatam, hoc autem de populis liberis sine causa additum. et
ita factum est a P. Servilio filio, qui in postremis sententiam dixit; sed
immutari hoc tempore non potest. itaque conventus, qui initio
celebrabantur, iam diu fieri desierunt. tu si tuis blanditiis tamen a
Sicyoniis nummulum aliquid expresseris, velim me facias
85 certiozem.

(10) Commentarium consulatus mei Graece compositum misi ad te.
in quo si quid erit quod homini Attico minus Graecum eruditumque
videatur, non dicam quod tibi, ut opinor, Panhormi Lucullus de suis
historiis dixerat, se, quo facilius illas probaret Romani hominis esse,
90 idcirco barbara quaedam et soloeca dispersisse; apud me si quid erit
eius modi, me imprudente erit et invito. Latinum si perfecero, ad te
mittam. tertium poëma exspectato, ne quod genus a me ipso laudis
meae praetermittatur. hic tu cave dicas, «τίς πατέρ' αἰνήσει;»; si est
enim apud homines quicquam quod potius [si] laudetur, nos
95 vituperemur qui non potius alia laudemus; quamquam non
ἐγκωμιστικὰ sunt haec sed ἱστορικὰ quae scribimus.

(11) Quintus frater purgat se mihi per litteras et adfirmat nihil a se
cuiquam de te secus esse dictum. verum haec nobis coram summa
cura et diligentia sunt agenda. tu modo nos revise aliquando.
100 Cossinius hic, cui dedi litteras, valde mihi bonus homo et non levis et
amans tui visus est et talis qualem esse eum tuae mihi litterae
nuntiarant. Id. Mart.

EPISTULAE AD FAMILIARES*

LIBER SEPTIMUS

V

CICERO CAESARI IMP. S. D.

1 (1) Vide quam mihi persuaserim te me esse alterum, non modo in iis
rebus quae ad me ipsum sed etiam in iis quae ad meos pertinent.
C. Trebatium cogitaram, quocumque exirem, mecum ducere, ut eum meis
omnibus studiis beneficiis quam ornatissimum domum reducerem. sed
5 postea quam et Pompei commoratio diuturnior erat quam putaram et mea
quaedam tibi non ignota dubitatio aut impedire profectionem meam
videbatur aut certe tardare, vide quid mihi sumpserim: coepi velle ea
Trebatium exspectare a te quae sperasset a me, neque mehercule minus ei
prolixo de tua voluntate promisi quam eram solitus de mea polliceri.

10 (2) Casus vero mirificus quidam intervenit quasi vel testis opinionis
meae vel sponsor humanitatis tuae. nam cum de hoc ipso Trebatio cum
Balbo nostro loquerer accuratius domi meae, litterae mihi dantur a te,
quibus in extremis scriptum erat: «M. <Cur>ti filium, quem mihi
commendas, vel regem Galliae faciam; vel hunc Leptae delega, si vis, tu ad
15 me alium mitte quem ornem». sustulimus manus et ego et Balbus. tanta
fuit oportunitas ut illud nescio quid non fortuitum sed divinum videretur.

Mitto igitur ad te Trebatium atque ita mitto ut initio mea sponte,
post autem invitatu tuo mittendum duxerim. (3) hunc, mi Caesar, sic
velim omni tua comitate complectare ut omnia quae per me possis
20 adduci ut in meos conferre velis in unum hunc conferas. de quo tibi
homine haec spondeo, non illo veteri verbo meo quod, cum ad te de
Milone scripsissem, iure lusisti sed more Romano quomodo homines
non inepti loquuntur, probiorem hominem, meliorem virum,
pudentiosem esse neminem. accedit etiam quod familiam ducit in iure
25 civili, singulari memoria, summa scientia.

Huic ego neque tribunatum neque praefecturam neque ullius
benefici certum nomen peto; benevolentiam tuam et liberalitatem peto,
neque impedio quo minus, si tibi ita placuerit, etiam hisce eum ornas
gloriorum insignibus. totum denique hominem tibi ita trado, de manu, ut
30 aiunt, in manum tuam istam et victoria et fide praestantem. simus enim
putidiusculi, quam<quam> per te vix licet; verum, ut video, licebit.

Cura ut valeas, et me, ut amas, ama.

* Фрагменты «Писем к близким» приводятся по изданию: Cicero: Epistulae ad familiares / ed. D. R. Shackleton Bailey. Cambridge, 1977.

LIBER QUARTUS DECIMUS

IV

TULLIUS S. D. TERENTIAE ET TULLIAE ET CICERONI SUIS

1 (1) Ego minus saepe do ad vos litteras quam possum propterea
quod cum omnia mihi tempora sunt misera, tum vero, cum aut scribo
ad vos aut vestras lego, conficior lacrimis sic ut ferre non possim. quod
utinam minus vitae cupidi fuissetus! certe nihil aut non multum in
5 vita mali vidissetus. quod si nos ad aliquam alicuius commodi
aliquando reciprandi spem fortuna reservavit, minus est erratum a
nobis; si haec mala fixa sunt, ego vero te quam primum, mea vita,
cupio videre et in tuo complexu emori, quoniam neque di, quos tu
castissime coluisti, neque homines, quibus ego semper servivi, nobis
10 gratiam rettulerunt.

(2) Nos Brundisii apud M. Laenium Flaccum dies XIII fuimus,
virum optimum, qui periculum fortunarum et capitis sui prae mea
salute neglexit neque legis improbissimae poena deductus est quo
minus hospiti et amicitiae ius officiumque praestaret. huic utinam
15 aliquando gratiam referre possimus! habebimus quidem semper.
(3) Brundisio profecti sumus a. d. II Kal. Mai. per Macedoniam
Cyzicum petebamus.

O me perditum, o me adfluctum! quid nunc? rogem te ut venias,
mulierem aegram, et corpore et animo confectam? non rogem? sine te
20 igitur sim? opinor, sic agam: si est spes nostri reditus, eam confirmes et
rem adiuves; sin, ut ego metuo, transactum est, quoquo modo potes, ad
me fac venias. unum hoc scito: si te habebo, non mihi videbor plane
perisse. sed quid Tulliola mea fiet? iam id vos videte; mihi deest
consilium. sed certe, quoquo modo se res habebit, illius misellae et
25 matrimonio et famae serviendum est. quid? Cicero meus quid aget?
iste vero sit in sinu semper et complexu meo. non queo plura iam
scribere; impedit maeror.

(4) Tu quid egeris nescio, utrum aliquid teneas an, quod metuo,
plane sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum. de
30 familia liberata, nihil est quod te moveat. primum tuis ita promissum
est, te facturam esse ut quisque esset meritus; est autem in officio
adhuc Orpheus, praeterea magno opere nemo. ceterorum servorum ea
causa est ut, si res a nobis abisset, liberti nostri essent, si obtinere
potuissent; sin ad nos pertinerent, servirent, praeterquam oppido pauci.
35 sed haec minora sunt.

(5) Tu quod me hortaris ut animo sim magno et spem habeam reciperae salutis, id velim sit eius modi ut recte sperare possimus. nunc miser quando tuas iam litteras accipiam? quis ad me perferet? quas ego exspectassem Brundisii si esset licitum per nautas, qui tempestatem praetermittere noluerunt.

40

Quod reliquum est, sustenta te, mea Terentia, ut potes honestissime. viximus, floruimus; non vitium nostrum sed virtus nostra nos adflixit. peccatum est nullum, nisi quod non una animam cum ornamentis amisimus. sed si hoc fuit liberis nostris gratius, nos vivere, cetera, quamquam ferenda non sunt, feramus. atque ego, qui te confirmo, ipse me non possum.

45

(6) Clodium Philhetaerum, quod valetudine oculorum impediabatur, hominem fidelem, remisi. Salustius officio vincit omnis. Pescennius est perbenevolus nobis; quem semper spero tui fore observantem. Sicca dixerat se mecum fore, sed Brundisio discessit.

50

Cura, quod potes, ut valeas et sic existimes, me vehementius tua miseria quam mea commoveri. mea Terentia, fidissima atque optima uxor, et mea carissima filiola et spes reliqua nostra, Cicero, valete.

Prid. Kal. Mai. Brundisio.

CORNELIUS NEPOS

Публий Корнелий Непот (ок. 100 – после 29 г. до н. э.) – историк и биограф, по свидетельству Плиния Младшего, также писал стихи. Входил в круг римской культурной элиты. Был дружен с Марком Туллием Цицероном, Титом Помпонием Атикком, Марком Теренцием Варроном, поэтом Гаем Валерием Катуллом.

Самым ранним историческим произведением Непота считаются «Хроники» из трех книг (сохранились незначительные фрагменты). «Хроники» представляют собой сопоставительные таблицы важнейших событий истории Греции и Рима, начиная с мифологических времен. Считается, что образцом для этого произведения послужили труды Аполлония Афинского и Кастора Родосского. К хронике очень часто обращался Цицерон. Интересен тот факт, что основание Рима Непот датировал 751/750 г. до н. э. Перу Непота принадлежат также «Примеры» – собрание исторических рассказов, анекдотов, описание различных природных феноменов. Об этом произведении мы знаем из трудов Плиния Старшего, Валерия Максима, Гая Светония Транквилла, Авла Геллия.

Непот положил начало биографическому жанру в римской литературе. В этом жанре написано самое известное его произведение «О знаменитых людях». Оно включало сведения о царях, полководцах, государственных деятелях, поэтах, ораторах, риторках, грамматиках, историках. Сохранилось 12 биографий греческих вождей и Ганнибала, а из римских биографий – жизнеописание Катона Старшего. Источниками информации для произведений Непота послужили труды таких греческих авторов, как Ксенофонт, Фукидид, Тимей.

Язык повествования Непота прост и доступен. Благодаря этому, а также тенденции к проповедованию строгой морали (морализациям) его произведения широко изучались в школах, несмотря на исторические ошибки. Биографии историка не представляют собой научного значения, в них прослеживаются неточности и хронологические ошибки. Однако большой заслугой Непота является то, что он первым познакомил римского читателя с иноземной историей.

DE EXCELLENTIBUS DUCIBUS EXTERARUM GENTIUM*

THEMISTOCLES

1 (I. 1) Themistocles, Neocli filius, Atheniensis. huius vitia ineuntis
adulescentiae magnis sunt emendata virtutibus, adeo ut anteferatur huic
nemo, pauci pares putentur. (2) sed ab initio est ordiendus. pater eius
Neocles generosus fuit. is uxorem Acarnanam civem duxit, ex qua natus
5 est Themistocles. qui cum minus esset probatus parentibus, quod et liberius
vivebat et rem familiarem neglegebat, a patre exheredatus est. (3) quae
contumelia non fregit eum, sed erexit. nam cum iudicasset sine summa
industria non posse eam exstingui, totum se dedidit rei publicae, diligentius
amicis famaeque serviens. multum in iudiciis privatis versabatur, saepe in
10 contionem populi prodibat; nulla res maior sine eo gerebatur; (4) celeriter
quae opus erant reperiebat, facile eadem oratione explicabat, neque minus
in rebus gerendis promptus quam excogitandis erat, quod et de instantibus,
ut ait Thucydides, verissime iudicabat et de futuris callidissime coniciebat.
quo factum est ut brevi tempore illustraretur.

15 (II. 1) Primus autem gradus fuit capessendae rei publicae bello
Corcyraeo; ad quod gerendum praetor a populo factus non solum
praesenti bello, sed etiam reliquo tempore ferociorem reddidit civitatem.
(2) nam cum pecunia publica, quae ex metallis redibat, largitione
magistratum quotannis interiret, ille persuasit populo ut ea pecunia
20 classis centum navium aedificaretur. (3) qua celeriter effecta primum
Corcyraeos fregit, deinde maritimos praedones consecrando mare tutum
reddidit. in quo cum divitiis ornavit, tum etiam peritissimos belli navalis
fecit Athenienses. (4) id quantae saluti fuerit universae Graeciae, bello
cognitum est Persico. nam cum Xerxes et mari et terra bellum universae
25 inferret Europae cum tantis copiis, quantas neque ante nec postea habuit
quisquam (5) (huius enim classis mille et ducentarum navium longarum
fuit, quam duo milia onerariarum sequebantur, terrestres autem exercitus
septingenta peditum, equitum quadringenta milia fuerunt), (6) huius de
adventu cum fama in Graeciam esset perlata et maxime Athenienses peti
30 dicerentur propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum,
quidnam facerent de rebus suis. deliberantibus Pythia respondit, ut
moenibus ligneis se munirent. (7) id responsum quo valeret cum

* Биографии Фемистокла и Алкивиада из произведения «О знаменитых иноземных полководцах» приводятся по изданию: Cornelia Nepotis Vitae cum Fragmentis / ed. P. K. Marshall. Leipzig, 1977.

intellegeret nemo, Themistocles persuasit consilium esse Apollinis, ut in
naves se suaque conferrent: eum enim a deo significari murum ligneum.
35 (8) tali consilio probato addunt ad superiores totidem naves triremes
suaque omnia, quae moveri poterant, partim Salamina partim Troezena
deportant: arcem sacerdotibus paucisque maioribus natu ac sacra
procuranda tradunt, reliquum oppidum relinquunt.

(III. 1) Huius consilium plerisque civitatibus displicebat et in terra
40 dimicari magis placebat. itaque missi sunt delecti cum Leonida,
Lacedaemoniorum rege, qui Thermopylas occuparent longiusque
barbaros progredi non paterentur. hi vim hostium non sustinuerunt eoque
loco omnes interierunt. (2) at classis communis Graeciae trecentarum
navium, in qua ducentae erant Atheniensium, primum apud Artemisium
45 inter Euboeam continentemque terram cum classariis regiis confligit.
angustias enim Themistocles quaerebat, ne multitudine circumiretur. (3) hic
etsi pari proelio discesserant, tamen eodem loco non sunt ausi manere,
quod erat periculum, ne, si pars navium adversariorum Euboeam
superasset, ancipiti premerentur periculo. (4) quo factum est ut ab
50 Artemisio discederent et exadversum Athenas apud Salamina classem
suam constituerent.

(IV. 1) At Xerxes Thermopylis expugnatis protinus accessit astu
idque nullis defendentibus interfectis sacerdotibus, quos in arce
invenerat, incendio delevit. (2) cuius flamma perterriti classarii cum
55 manere non audent et plurimi hortantur, ut domos suas discederent
moenibusque se defenderent, Themistocles unus restitit et universos
pares esse posse aiebat, dispersos testabatur perituros, idque Eurybiadi,
regi Lacedaemoniorum, qui tum summae imperii praeerat, fore
affirmabat. (3) quem cum minus quam vellet moveret, noctu de servis
60 suis quem habuit fidelissimum ad regem misit, ut ei nuntiaret suis
verbis, adversarios eius in fuga esse: (4) qui si discessissent, maiore
cum labore et longinquiore tempore bellum confecturum, cum singulos
consectari cogeretur: quos si statim aggrediretur, brevi universos
oppressurum. hoc eo valebat, ut ingratis ad depugnandum omnes
65 cogerentur. (5) hac re audita barbarus, nihil doli subesse credens,
postridie alienissimo sibi loco, contra opportunissimo hostibus adeo
angusto mari confligit, ut eius multitudo navium explicari non potuerit.
victus ergo est magis etiam consilio Themistocli quam armis Graeciae.

(V. 1) Hic etsi male rem gesserat, tamen tantas habebat reliquias
70 copiarum, ut etiam tum iis opprimere posset hostes: iterum ab eodem
gradu depulsus est. nam Themistocles, verens ne bellare perseveraret,
certiorem eum fecit id agi, ut pons, quem ille in Hellesponto fecerat,

dissolveretur ac reditu in Asiam excluderetur, idque ei persuasit.
(2) itaque qua sex mensibus iter fecerat, eadem minus diebus triginta in
75 Asiam reversus est seque a Themistocle non superatum, sed
conservatum iudicavit. (3) sic unius viri prudentia Graecia liberata est
Europaeque succubuit Asia. haec altera victoria, quae cum Marathonio
possit comparari tropaeo. nam pari modo apud Salamina parvo numero
navium maxima post hominum memoriam classis est devicta.

80 (VI. 1) Magnus hoc bello Themistocles fuit neque minor in pace. cum
enim Phalerico portu neque magno neque bono Athenienses uterentur,
huius consilio triplex Piraei portus constitutus est isque moenibus
circumdatus, ut ipsam urbem dignitate aequiperaret, utilitate superaret.
(2) idem muros Atheniensium restituit praecipuo suo periculo. namque
85 Lacedaemonii causam idoneam nacti propter barbarorum excursionses,
qua negarent oportere extra Peloponnesum ullam urbem <moenia>
habere, ne essent loca munita, quae hostes possiderent, Athenienses
aedificantes prohibere sunt conati. (3) hoc longe alio spectabat atque
videri volebant. Athenienses enim duabus victoriis, Marathoniam et
90 Salaminiam, tantam gloriam apud omnes gentis erant consecuti, ut
intellegerent Lacedaemonii de principatu sibi cum iis certamen fore.
quare eos quam infirmissimos esse volebant. (4) postquam autem
audierunt muros instrui, legatos Athenas miserunt, qui id fieri vetarent.
his praesentibus desierunt ac se de ea re legatos ad eos missuros dixerunt.
95 (5) hanc legationem suscepit Themistocles et solus primo profectus est:
reliqui legati ut tum exirent, cum satis altitudo muri exstructa videretur,
praecepit: interim omnes, servi atque liberi, opus facerent neque ulli loco
parcerent, sive sacer sive privatus esset sive publicus, et undique, quod
idoneum ad muniendum putarent, congererent. quo factum est ut
100 Atheniensium muri ex sacellis sepulcrisque constarent.

(VII. 1) Themistocles autem, ut Lacedaemonem venit, adire ad
magistratus noluit et dedit operam, ut quam longissime tempus duceret,
causam interponens se collegas exspectare. (2) cum Lacedaemonii
quererentur opus nihilo minus fieri eumque in ea re conari fallere,
105 interim reliqui legati sunt consecuti. a quibus cum audisset non multum
superesse munitionis, ad ephoros Lacedaemoniorum accessit, penes
quos summum erat imperium, atque apud eos contendit falsa iis esse
delata: quare aequum esse illos viros bonos nobilesque mittere quibus
fides haberetur, qui rem explorarent: interea se obsidem retinerent.
110 (3) gestus est ei mos, tresque legati functi summis honoribus Athenas
missi sunt. cum his collegas suos Themistocles iussit proficisci iisque
praedixit, ut ne prius Lacedaemoniorum legatos dimitterent quam ipse

esset remissus. (4) hos postquam Athenas pervenisse ratus est, ad magistratum senatumque Lacedaemoniorum adiit et apud eos liberrime
115 professus est: Atheniensis suo consilio, quod communi iure gentium
facere possent, deos publicos suosque patrios ac penates, quo facilius
ab hoste possent defendere, muris saepsisse neque in eo quod inutile
esset Graeciae fecisse. (5) nam illorum urbem ut propugnaculum
120 oppositum esse barbaris, apud quam iam bis classes regias fecisse
naufragium. (6) Lacedaemonios autem male et iniuste facere, qui id
potius intuerentur, quod ipsorum dominationi quam quod universae
Graeciae utile esset. quare, si suos legatos recipere vellent, quos
Athenas miserant, se remitterent, aliter illos numquam in patriam
essent recepturi.

125 (VIII. 1) Tamen non effugit civium suorum invidiam. namque ob
eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, testularum suffragiis e
civitate eiectus Argos habitatum concessit. (2) hic cum propter multas
eius virtutes magna cum dignitate viveret, Lacedaemonii legatos
Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, quod societatem cum
130 rege Perse ad Graeciam opprimendam fecisset. (3) hoc crimine absens
proditionis damnatus est. id ut audivit, quod non satis tutum se Argis
videbat, Corcyram demigravit. ibi cum eius principes animadvertisset
timere, ne propter se bellum iis Lacedaemonii et Athenienses
indicerent, <ad> Admetum, Molossum regem, cum quo ei hospitium
135 erat, confugit. (4) huc cum venisset et in praesentia rex abesset, quo
maiore religione se receptum tueretur, filiam eius parvulam arripuit et
cum ea se in sacrarium, quod summa colebatur caerimonia, coniecit.
inde non prius egressus est, quam rex eum data dextra in fidem
reciperet, quam praestitit. (5) nam cum ab Atheniensibus et
140 Lacedaemoniis exposceretur publice, supplicem non prodidit
monuitque ut consuleret sibi: difficile enim esse in tam propinquo loco
tuto eum versari. itaque Pydnam eum deduci iussit et quod satis esset
praesidii dedit. (6) hic in navem omnibus ignotus nautis escendit. quae
cum tempestate maxima Naxum ferretur, ubi tum Atheniensium erat
145 exercitus, sensit Themistocles, si eo pervenisset, sibi esse pereundum.
hac necessitate coactus domino navis, qui sit, aperit, multa pollicens, si
se conseruasset. (7) at ille clarissimi viri captus misericordia diem
noctemque procul ab insula in salo navem tenuit in ancoris neque
quemquam ex ea exire passus est. inde Ephesum pervenit ibique
150 Themistoclen exponit. cui ille pro meritis postea gratiam rettulit.

(IX. 1) Scio plerosque ita scripsisse, Themistoclen Xerxe regnante
in Asiam transisse. sed ego potissimum Thucydidi credo, quod aetate

proximus de iis, qui illorum temporum historiam reliquerunt, et
eiusdem civitatis fuit. is autem ait ad Artaxerxen eum venisse atque his
155 verbis epistolam misisse: (2) «Themistocles veni ad te, qui plurima
mala omnium Graiorum in domum tuam intuli, quamdiu mihi necesse
fuit adversum patrem tuum bellare patriamque meam defendere.
(3) idem multo plura bona feci, postquam in tuto ipse et ille in periculo
esse coepit. nam cum in Asiam reverti vellet proelio apud Salamina
160 facto, litteris eum certiozem feci id agi ut pons, quem in Hellesponto
fecerat, dissolveretur atque ab hostibus circumiretur. quo nuntio ille
periculo est liberatus. (4) nunc autem confugi ad te exagitatus a cuncta
Graecia, tuam petens amicitiam: quam si ero adeptus, non minus me
bonum amicum habebis, quam fortem inimicum ille expertus est. ea
165 autem rogo, ut de iis rebus, quas tecum colloqui volo, annum mihi
tempus des eoque transacto ad te venire patiaris».

(X. 1) Huius rex animi magnitudinem admirans cupiensque talem
virum sibi conciliari veniam dedit. ille omne illud tempus litteris
sermonique Persarum se dedit: quibus adeo eruditus est, ut multo
170 commodius dicatur apud regem verba fecisse, quam ii poterant, qui in
Perside erant nati. (2) hic cum multa regi esset pollicitus
gratissimumque illud, si suis uti consiliis vellet, illum Graeciam bello
oppressurum, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit
domiciliumque Magnesia sibi constituit. (3) namque hanc urbem ei
175 rex donarat, his quidem verbis, quae ei panem praeberet (ex qua
regione quinquaginta talenta quotannis redibant), Lampsacum autem,
unde vinum sumeret, Myunta, ex qua obsonium haberet.

Huius ad nostram memoriam monumenta manserunt duo: sepulcrum
prope oppidum, in quo est sepultus, statua in foro Magnesia. (4) de
180 cuius morte multimodis apud plerosque scriptum est, sed nos eundem
potissimum Thucydidem auctorem probamus, qui illum ait Magnesia
morbo mortuum neque negat fuisse famam, venenum sua sponte
sumpsisse, cum se, quae regi de Graecia opprimenda pollicitus esset,
praestare posse desperaret. (5) idem ossa eius clam in Attica ab amicis
185 sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset
damnatus, memoriae prodidit.

ALCIBIADES

1 (I. 1) Alcibiades, Cliniae filius, Atheniensis. in hoc quid natura
efficere possit videtur experta. constat enim inter omnes, qui de eo

5 memoriae prodiderunt, nihil illo fuisse excellentius vel in vitiis vel in virtutibus. (2) natus in amplissima civitate summo genere, omnium aetatis
suae multo formosissimus; ad omnes res aptus consiliique plenus
(namque imperator fuit summus et mari et terra); disertus, ut in primis
dicendo valeret, quod tanta erat commendatio oris atque orationis, ut
nemo ei dicendo posset resistere; dives; (3) cum tempus posceret,
laboriosus, patiens; liberalis, splendidus non minus in vita quam victu;
10 affabilis, blandus, temporibus callidissime serviens: (4) idem, simul ac se
remiserat neque causa suberat quare animi laborem perferret, luxuriosus,
dissolutus, libidinosus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur
in uno homine tantam esse dissimilitudinem tamque diversam naturam.

15 (II. 1) Educatus est in domo Pericli (privignus enim eius fuisse dicitur), eruditus a Socrate. socerum habuit Hipponicum, omnium
Graeca lingua loquentium ditissimum, ut, si ipse fingere vellet, neque
plura bona eminisci neque maiora posset consequi, quam vel natura vel
fortuna tribuerat. (2) ineunte adulescentia amatus est a multis more
Graecorum, in eis Socrate, de quo mentionem facit Plato in Symposio.
20 namque eum induxit commemorantem se pernoctasse cum Socrate
neque aliter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit.
(3) posteaquam robustior est factus, non minus multos amavit, in
quorum amore, quoad licitum est odiosa, multa delicate iocoseque
fecit: quae referremus, nisi maiora potiora haberemus.

25 (III. 1) Bello Peloponnesio huius consilio atque auctoritate
Athenienses bellum Syracusanis indixerunt: ad quod gerendum ipse
dux delectus est, duo praeterea collegae dati Nicias et Lamachus. (2) id
cum appareretur, priusquam classis exiret, accidit ut una nocte omnes
Hermae, qui in oppido erant Athenis, deicerentur praeter unum, qui
30 ante ianuam erat Andocidi (itaque ille postea Mercurius Andocidi
vocitatus est). (3) hoc cum appareret non sine magna multorum
consensione esse factum, quae non ad privatam, sed publicam rem
pertineret, magnus multitudini timor est iniectus, ne qua repentina vis
in civitate existeret, quae libertatem opprimeret populi. (4) hoc
35 maxime convenire in Alcibiadem videbatur, quod et potentior et maior
quam privatus existimabatur: multos enim liberalitate devinxerat,
plures etiam opera forensi suos reddiderat. (5) qua re fiebat ut omnium
oculos, quotienscumque in publicum prodisset, ad se converteret neque
ei par quisquam in civitate poneretur. itaque non solum spem in eo
40 habebant maximam, sed etiam timorem, quod et obesse plurimum et
prodesse poterat. (6) aspergebatur etiam infamia, quod in domo sua
facere mysteria dicebatur (quod nefas erat more Atheniensium) idque
non ad religionem, sed ad coniurationem pertinere existimabatur.

(IV. 1) Hoc crimine in contione ab inimicis compellabatur. sed
45 instabat tempus ad bellum proficiscendi. id ille intuens neque ignorans
civium suorum consuetudinem postulabat, si quid de se agi vellent,
potius de praesente quaestio haberetur, quam absens invidiae crimine
accusaretur. (2) inimici vero eius quiescendum in praesenti, quia noceri
non posse intellegebant, et illud tempus exspectandum decreverunt,
50 quo exisset, ut absentem aggredierentur; itaque fecerunt. (3) nam
postquam in Siciliam eum pervenisse crediderunt, absentem, quod
sacra violasset, reum fecerunt. qua de re cum ei nuntius a magistratu in
Siciliam missus esset, ut domum ad causam dicendam rediret, essetque
55 in magna spe provinciae bene administrandae, non parere noluit et in
trierem, quae ad eum deportandum erat missa, ascendit. (4) hac
Thurios in Italiam pervectus, multa secum reputans de immoderata
civium suorum licentia crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus
impendentem evitare tempestatem, clam se ab custodibus subduxit et
inde primum Elidem, dein Thebas venit. (5) postquam autem se capitis
60 damnatum bonis publicatis audivit, et, id quod usu venerat,
Eumolpidas sacerdotes a populo coactos ut se devoverent, eiusque
devotionis quo testatior esset memoria, exemplum in pila lapidea
incisum esse positum in publico, Lacedaemonem demigravit. (6) ibi, ut
ipse praedicare consuerat, non adversus patriam, sed inimicos suos
65 bellum gessit, quod eidem hostes essent civitati: nam cum intellexerent
se plurimum prodesse posse rei publicae, ex ea eiecisse plusque irae
suae quam utilitati communi paruisse. (7) itaque huius consilio
Lacedaemonii cum Perse rege amicitiam fecerunt, dein Deceleam in
Attica munierunt praesidioque ibi perpetuo posito in obsidione Athenas
70 tenuerunt. eiusdem opera Ioniam a societate averterunt Atheniensium.
quo facto multo superiores bello esse coeperunt.

(V. 1) Neque vero his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti quam
timore ab eo alienati. nam cum acerrimi viri praestantem prudentiam in
omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt ne caritate patriae ductus
75 aliquando ab ipsis descisceret et cum suis in gratiam rediret. itaque
tempus eius interficiendi quaerere instituerunt. (2) id Alcibiades diutius
celari non potuit: erat enim ea sagacitate, ut decipi non posset,
praesertim cum animum attendisset ad cavendum. itaque ad
Tissaphernem, praefectum regis Darii, se contulit. (3) cuius cum in
80 intimam amicitiam pervenisset et Atheniensium male gestis in Sicilia
rebus opes senescere, contra Lacedaemoniorum crescere videret, initio
cum Pisandro praetore, qui apud Samum exercitum habebat, per
internuntios colloquitur et de reditu suo facit mentionem. erat enim

85 eodem quo Alcibiades sensu, populi potentiae non amicus et optimatum
fautor. (4) ab hoc destitutus primum per Thrasybulum, Lyci filium, ab
exercitu recipitur praetorque fit apud Samum, post suffragante
Theramene populi scito restituitur parique absens imperio praeficitur
90 simul cum Thrasybulo et Theramene. (5) horum in imperio tanta
commutatio rerum facta est, ut Lacedaemonii, qui paulo ante victores
vigerant, perterriti pacem peterent. victi enim erant quinque proeliis
terrestribus, tribus navalibus, in quibus ducentas naves triremes
amiserant, quae captae in hostium venerant potestatem. (6) Alcibiades
simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas praeterea
95 urbes Graecas, quae in ora sitae sunt Asiae, quarum expugnant
complures, in his Byzantium, neque minus multas consilio ad amicitiam
adiunxerant, quod in captos clementia fuerant usi. (7) ita praeda onusti,
locupletato exercitu, maximis rebus gestis Athenas venerunt.

(VI. 1) His cum obviam universa civitas in Piraeum descendisset,
tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad eius triremem
100 vulgus conflueret, proinde ac si solus advenisset. (2) sic enim populo
erat persuasum, et adversas superiores et praesentes secundas res
accidisse eius opera. itaque et Siciliae amissum et Lacedaemoniorum
victorias culpae suae tribuebant, quod talem virum e civitate
expulissent. neque id sine causa arbitrari videbantur. nam postquam
105 exercitui praeesse coeperat, neque terra neque mari hostes pares esse
potuerant. (3) hic ut e navi egressus est, quamquam Theramenes et
Thrasybulus eisdem rebus praefuerant simulque venerant in Piraeum,
tamen unum omnes illum prosequerantur, et, id quod numquam antea
usu venerat nisi Olympiae victoribus, coronis aureis aeneisque vulgo
110 donabatur. ille lacrimans talem benivolentiam civium suorum
accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. (4) postquam
<in> astu venit, contione advocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus
fuerit, quin eius casum lacrumaret inimicumque iis se ostenderit,
quorum opera patria pulsus fuerat, proinde ac si alius populus, non ille
115 ipse qui tum flebat, eum sacrilegii damnasset. (5) restituta ergo huic
sunt publice bona, eidemque illi Eumolpidae sacerdotes rursus
resacrare sunt coacti, qui eum devoverant, pilaeque illae, in quibus
devotio fuerat scripta, in mare praecipitatae.

(VII. 1) Haec Alcibiadi laetitia non nimis fuit diuturna. nam cum ei
120 omnes essent honores decreti totaque res publica domi bellique tradita,
ut unius arbitrio gereretur, et ipse postulasset ut duo sibi collegae
darentur, Thrasybulus et Adimantus, neque id negatum esset, classe in
Asiam profectus, quod apud Cymen minus ex sententia rem gesserat,

125 in inuidiam recidit: nihil enim eum non efficere posse ducebant. (2) ex
quo fiebat ut omnia minus prospere gesta culpa tribuerent, cum aut
eum neglegenter aut malitiose fecisse loquerentur, sicut tum accidit:
nam corruptum a rege capere Cymen noluisse arguebant. (3) itaque
huic maxime putamus malo fuisse nimiam opinionem ingenii atque
130 virtutis: timebatur enim non minus quam diligebatur, ne secunda
fortuna magnisque opibus elatus tyrannidem concupisceret. quibus
rebus factum est ut absentem magistratum abrogarent et alium in eius
locum substituerent. (4) id ille ut audivit, domum reverti noluit et se
Pactyen contulit ibique tria castella communiit, Ornos, Bizanthen,
Neontichos, manuque conlecta primus Graecae civitatis in Threciam
135 introiit, gloriosius existimans barbarum praeda locupletari quam
Graiorum. (5) qua ex re creverat cum fama tum opibus, magnamque
amicitiam sibi cum quibusdam regibus Threciae pepererat.

(VIII. 1) Neque tamen a caritate patriae potuit recedere. nam cum
apud Aegos flumen Philocles, praetor Atheniensium, classem
140 constituisset suam neque longe abesset Lysander, praetor
Lacedaemoniorum, qui in eo erat occupatus ut bellum quam diutissime
duceret, quod ipsis pecunia a rege suppeditabatur, contra Atheniensibus
exhaustis praeter arma et naves nihil erat super, (2) Alcibiades ad
exercitum venit Atheniensium ibique praesente vulgo agere coepit: si
145 vellent, se coacturum Lysandrum dimicare aut pacem petere;
Lacedaemonios eo nolle classe configere, quod pedestribus copiis plus
quam navibus valerent; (3) sibi autem esse facile Seuthem, regem
Threcum, deducere ut eum terra depelleret: quo facto necessario aut
classe conflicturum aut bellum compositurum. (4) id etsi vere dictum
150 Philocles animadvertibat, tamen postulata facere noluit, quod sentiebat se
Alcibiade recepto nullius momenti apud exercitum futurum et, si quid
secundi evenisset, nullam in ea re suam partem fore, contra ea, si quid
adversi accidisset, se unum eius delicti futurum reum. (5) ab hoc
discedens Alcibiades «quoniam, – inquit, – victoriae patriae repugnans,
155 illud moneo, <ne> iuxta hostem castra habeas nautica: periculum est
enim, ne immodestia militum vestrorum occasio detur Lysandro vestri
opprimendi exercitus». (6) neque ea res illum fefellit. nam Lysander, cum
per speculatores comperisset vulgum Atheniensium in terram praedatum
exisse navesque paene inanes relictas, tempus rei gerendae non dimisit
160 eoque impetu bellum totum delevit.

(IX. 1) At Alcibiades, victis Atheniensibus non satis tuta eadem
loca sibi arbitrans, penitus in Threciam se supra Propontidem abdidit,
sperans ibi facillime suam fortunam oculi posse. falso. (2) nam

165 Threces, postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias
fecerunt: qui ea quae apportarat abstulerunt, ipsum capere non
potuerunt. (3) ille cernens nullum locum sibi tutum in Graecia propter
potentiam Lacedaemoniorum ad Pharnabazum in Asiam transiit, quem
quidem adeo sua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia
170 antecederet. namque ei Grynium dederat, in Phrygia castrum, ex quo
quinquagena talenta vectigalis capiebat. (4) qua fortuna Alcibiades non
erat contentus neque Athenas victas Lacedaemoniis servire poterat
pati. itaque ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. (5) sed
videbat id sine rege Perse non posse fieri, ideoque eum amicum sibi
cupiebat adiungi neque dubitabat facile se consecuturum, si modo eius
175 conveniundi habuisset potestatem. nam Cyrum fratrem ei bellum clam
parare Lacedaemoniis adiuvantibus sciebat: id si aperuisset, magnam
se initurum gratiam videbat.

(X. 1) Hoc cum moliretur peteretque a Pharnabazo, ut ad regem
mitteretur, eodem tempore Critias ceterique tyranni Atheniensium
180 certos homines ad Lysandrum in Asiam miserant, qui eum certiore
facerent, nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum,
quas ipse Athenis constituisset: quare, si suas res gestas manere vellet,
illum persequeretur. (2) his Laco rebus commotus statuit accuratius
sibi agendum cum Pharnabazo. huic ergo renuntiat quae regi cum
185 Lacedaemoniis essent, nisi Alcibiadem vivum aut mortuum sibi
tradidisset. (3) non tulit hunc satrapes et violare clementiam quam
regis opes minui maluit. itaque misit Susamithren et Bagaeum ad
Alcibiadem interficiendum, cum ille esset in Phrygia iterque ad regem
compararet. (4) missi clam vicinitati, in qua tum Alcibiades erat, dant
190 negotium ut eum interficiant. illi cum ferro aggredi non auderent, noctu
ligna contulerunt circa casam eam, in qua quiescebat, eamque
succenderunt, ut incendio conficerent, quem manu superari posse
diffidebant. (5) ille autem ut sonitu flammae est excitatus, etsi gladius
ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. namque erat
195 cum eo quidam ex Arcadia hospes, qui numquam discedere voluerat.
hunc sequi se iubet et id quod in praesentia vestimentorum fuit arripit.
his in ignem coniectis flammae vim transiit. (6) quem ut barbari
incendium effugisse viderunt, telis eminus missis interfecerunt
caputque eius ad Pharnabazum rettulerunt. at mulier, quae cum eo
200 vivere consuerat, muliebri sua veste contactum aedificii incendio
mortuum cremavit, quod ad vivum interimendum erat comparatum. sic
Alcibiades annos circiter quadraginta natus diem obiit supremum.

(XI. 1) Hunc infamatum a plerisque tres gravissimi historici summis
205 laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdem aetatis fuit, Theopompus,
post aliquanto natus, et Timaeus: qui quidem duo maledicentissimi nescio
quo modo in illo uno laudando consenserunt. (2) namque ea, quae supra
scripsimus, de eo praedicarunt atque hoc amplius: cum Athenis,
splendidissima civitate, natus esset, omnes splendore ac dignitate
210 superasse vitae; (3) postquam inde expulsus Thebas venerit, adeo studiis
eorum inseruisse, ut nemo eum labore corporisque viribus posset
aequiparare (omnes enim Boeotii magis firmitati corporis quam ingenii
acumini inseruiunt); (4) eundem apud Lacedaemonios, quorum moribus
summa virtus in patientia ponebatur, sic duritiae se dedisse, ut parsimonia
victus atque cultus omnes Lacedaemonios vinceret; fuisse apud Thracas,
215 homines vinolentos rebusque veneriis deditos: hos quoque in his rebus
antecessisse; (5) venisse ad Persas, apud quos summa laus esset fortiter
venari, luxuriose vivere: horum sic imitatum consuetudinem, ut illi ipsi
eum in his maxime admirarentur. quibus rebus effecisse ut, apud
quoscumque esset, princeps poneretur habereturque carissimus. sed satis
220 de hoc: reliquos ordiamur.

CAIUS IULIUS CAESAR

Гай Юлий Цезарь (100–44 гг. до н. э.) – римский государственный деятель, полководец, писатель. Происходил из древнего римского патрицианского рода Юлиев. Однако, несмотря на это, уже с юности он принадлежал к партии популяров, защищавшей интересы плебса. Занимал ряд государственных должностей, начиная с квестора (68 г. до н. э.) и заканчивая консулом (59 г. до н. э.). В 60 г. до н. э. Цезарь заключил триумвират с Гнеем Помпеем, крупным полководцем и политическим деятелем, и Марком Лицинием Крассом – самым богатым человеком в Риме. После окончания консульской магистратуры в качестве провинции он получил Галлию. В течение девяти лет (58–50 гг. до н. э.) Цезарь полностью подчинил Галлию власти Рима. В 49 г. до н. э. вместе со своим войском перешел пограничную реку Рубикон, начав тем самым гражданскую войну с Помпеем и поддерживающим его сенатом. Разбив Помпея и его сторонников в ряде успешных сражений, в 44 г. до н. э. Цезарь становится единоличным хозяином Рима. Обвинив его в стремлении к царской власти, сторонники римской республики организовали заговор, в результате которого Цезарь был убит на заседании сената в Мартовские Иды (15 марта) 44 г. до н. э.

До нашего времени дошло два литературных произведения Цезаря – «Записки о Галльской войне» и «Записки о гражданской войне». Первое состоит из семи книг. В нем автор рассказывает о событиях, происходивших в Галлии в 58–52 гг. до н. э., в которых он принимал активное участие. «Записки о гражданской войне» (в трех книгах) посвящены истории гражданской войны между Цезарем и Помпеем.

COMMENTARIII BELLI GALLICI*

LIBER SEPTIMUS

- 1 (I. 1) *Quieta Gallia Caesar, ut constituerat, in Italiam ad conventus agendos proficiscitur. ibi cognoscit de P. Clodii caede <de> senatusque consulto certior factus, ut omnes iuniores Italiae coniurarent, dilectum tota provincia habere instituit. (2) eae res in Galliam Transalpinam celeriter*

* Фрагмент «Записок о Галльской войне» приводится по изданию: C. Iulii Caesaris Commentarii Rerum Gestarum / ed. O. Seel. Leipzig, 1961. Vol. 1.

5 perferuntur. addunt ipsi et adfingunt rumoribus Galli, quod res poscere
videbatur: retineri urbano motu Caesarem neque in tantis dissensionibus ad
exercitum venire posse. (3) hac impulsu occasione, qui iam ante se populi
Romani imperio subiectos dolerent, liberius atque audacius de bello
10 consilia inire incipiunt. (4) indictis inter se principes Galliae conciliis
silvestribus ac remotis locis queruntur de Acconis morte; (5) hunc casum
ad ipsos recidere posse demonstrant; miserantur communem Galliae
fortunam; omnibus pollicitationibus ac praemiis deposcunt qui belli initium
faciant et sui capitis periculo Galliam in libertatem vindicent. (6) inprimis
15 rationem esse habendam dicunt, priusquam eorum clandestina consilia
efferantur, ut Caesar ab exercitu intercludatur. (7) id esse facile, quod
neque legiones audeant absente imperatore ex hibernis egredi neque
imperator sine praesidio ad legiones pervenire possit. (8) postremo in acie
praestare interfici, quam non veterem belli gloriam libertatemque quam a
maioribus acceperint recuperare.

20 (II. 1) His rebus agitatis profitentur Carnutes se nullum periculum
communis salutis causa recusare principesque ex omnibus bellum
facturos pollicentur et, (2) quoniam in praesentia obsidibus cavere inter
se non possint, ne res efferatur, at iure iurando ac fide sanciantur, petunt
conlatis militaribus signis, quo more eorum gravissima caerimonia
25 continetur, ne facto initio belli ab reliquis deserantur. (3) tum
conlaudatis Carnutibus, dato iure iurando ab omnibus qui aderant,
tempore eius rei constituto a concilio disceditur.

(III. 1) Ubi ea dies venit, Carnutes Cotuato et Conconnetodumno
ducibus desperatis hominibus Cenabum signo dato concurrunt
30 civesque Romanos, qui negotiandi causa ibi constiterant, in his
C. Fufium Citam, honestum equitem Romanum, qui rei frumentariae
iussu Caesaris praeerat, interficiunt bonaque eorum diripiunt.
(2) celeriter ad omnes Galliae civitates fama perfertur. nam ubicumque
maior atque inlustrior incidit res, clamore per agros regionesque
35 significant; hinc alii deinceps excipiunt et proximis tradunt; (3) ut tum
accidit. nam, quae Cenabi oriente sole gesta essent, ante primam
confectam vigiliam in finibus Arvernorum audita sunt, quod spatium
est milium passuum circiter centum sexaginta.

(IV. 1) Simili ratione ibi Vercingetorix Celtilli filius, Arvernus,
40 summae potentiae adolescens, cuius pater principatum totius Galliae
obtinuerat et ob eam causam, quod regnum adpetebat, a civitate erat
interfectus, convocatis suis clientibus facile incendit. (2) cognito eius
consilio ad arma concurritur. prohibetur a Gobannitione patruo suo
reliquisque principibus, qui hanc temptandam fortunam non existimabant,

45 expellitur ex oppido Gergovia. (3) non desistit tamen atque in agris habet
dilectum egentium ac perditorum. hac coacta manu, quoscumque adit ex
civitate, ad suam sententiam perducit; (4) hortatur ut communis libertatis
causa arma capiant, magnisque coactis copiis adversarios suos, a quibus
50 paulo ante erat eiectus, expellit ex civitate. rex ab suis appellatur.
(5) dimittit quoque versus legationes; obtestatur ut in fide maneant.
(6) celeriter sibi Senones, Parisios, Pictones, Cadurcos, Turonos,
Aulercos, Lemovices, Andes reliquosque omnes, qui Oceanum attingunt,
adiungit; omnium consensu ad eum defertur imperium. (7) qua oblata
65 potestate omnibus his civitatibus obsides imperat, certum numerum
militum ad se celeriter adduci iubet, (8) armorum quantum quaeque
civitas domi quodque ante tempus efficiat constituit; in primis equitatu
studet. (9) summae diligentiae summam imperii severitatem addit;
magnitudine supplicii dubitantes cogit. (10) nam maiore commisso
60 delicto igni atque omnibus tormentis necat, levio de causa auribus
desectis aut singulis effossis oculis domum remittit, ut sint reliquis
documento et magnitudine poenae perterreant alios.

(V. 1) His suppliciis celeriter coacto exercitu Lucterium Cadurcum,
summae hominem audaciae cum parte copiarum in Rutenos mittit; ipse in
Bituriges proficiscitur. (2) eius adventu Bituriges ad Haeduos, quorum
65 erant in fide, legatos mittunt subsidium rogatum, quo facilius hostium
copias sustinere possint. (3) Haedui de consilio legatorum, quos Caesar
ad exercitum reliquerat, copias equitatus peditatusque subsidio
Biturigibus mittunt. (4) qui cum ad flumen Ligerim venissent, quod
Bituriges ab Haeduis dividit, paucos dies ibi morati neque flumen transire
70 ausi domum revertuntur legatisque nostris renuntiant (5) se Biturigum
perfidiam veritos revertisse, quibus id consilii fuisse cognoverint, ut, si
flumen transissent, una ex parte ipsi, altera Arverni se circumstiterent.
(6) id eane de causa, quam legatis pronuntiarint, an perfidia adducti
fecerint, quod nihil nobis constat, non videtur pro certo esse ponendum.
75 (7) Bituriges eorum discessu statim se cum Arvernibus coniungunt.

(VI. 1) His rebus in Italiam Caesari nuntiatis, cum iam ille urbanas res
virtute Cn. Pompei commodiorem in statum pervenisse intellexeret, in
Transalpinam Galliam profectus est. (2) eo cum venisset, magna difficultate
adficiebatur, qua ratione ad exercitum pervenire posset. (3) nam si legiones
80 in provinciam arcesseret, se absente in itinere proelio dimicaturas
intellegebat; (4) si ipse ad exercitum contenderet, ne iis quidem eo tempore
qui quieti viderentur, suam salutem recte committi videbat.

(VII. 1) Interim Lucterius Cadurcus in Rutenos missus eam
civitatem Arvernibus conciliat. (2) progressus in Nitiobrogos et Gabalos

85 ab utrisque obsides accipit et magna coacta manu in provinciam
Narbonem versus eruptionem facere contendit. (3) qua re nuntiata
Caesar omnibus consiliis antevendum existimavit, ut Narbonem
proficisceretur. (4) eo cum venisset, timentes confirmat, praesidia in
90 Rutenis provincialibus, Volcis, Arecomicis, Tolosatibus circumque
Narbonem, quae loca hostibus erant finitima, constituit, (5) partem
copiarum ex provincia supplementumque, quod ex Italia adduxerat, in
Helvios, qui fines Arvernorum contingunt, convenire iubet.

(VIII. 1) His rebus comparatis represso iam Lucterio et remoto, quod
intrare intra praesidia periculosum putabat, in Helvios proficiscitur.
95 (2) etsi mons Cebenna, qui Arvernos ab Helviis discludit, durissimo
tempore anni altissima nive iter impediabat, tamen discussa nive sex in
altitudinem pedum atque ita viis patefactis summo militum labore ad
fines Arvernorum pervenit. (3) quibus oppressis inopinantibus, quod se
Cebenna ut muro munitos existimabant ac ne singulari quidem unquam
100 homini eo tempore anni semitae patuerant, equitibus imperat, ut, quam
latissime possint, vagentur et quam maximum hostibus terrorem inferant.
(4) celeriter haec fama ac nuntiis ad Vercingetorigem perferuntur. quem
perterriti omnes Arverni circumstant atque obsecrant, ut suis fortunis
consulat, neu se ab hostibus diripi patiatur, praesertim cum videat omne
105 ad se bellum translatum. (5) quorum ille precibus permotus castra ex
Biturigibus movet in Arvernos versus.

(IX. 1) At Caesar biduum in his locis moratus, quod haec de
Vercingetorige usu ventura opinione praeceperat, per causam
supplementi equitatusque cogendi ab exercitu discedit, Brutum
110 adulescentem his copiis praeficit; (2) hunc monet, ut in omnes partes
equites quam latissime pervagentur; daturum se operam ne longius triduo
a castris absit. (3) his constitutis rebus omnibus suis inopinantibus quam
maximis potest itineribus Viennam pervenit. (4) ibi nactus recentem
equitatum, quem multis ante diebus eo praemiserat, neque diurno neque
115 nocturno itinere intermisso per fines Haeduorum in Lingones contendit,
ubi duae legiones hiemabant, ut si quid etiam de sua salute ab Haeduis
iniretur consilii, celeritate praecurreret. (5) eo cum pervenisset, ad
reliquas legiones mittit priusque omnes in unum locum cogit quam de
eius adventu Arvernis nuntiari posset. (6) hac re cognita Vercingetorix
120 rursus in Bituriges exercitum reducit atque inde profectus Gorgobinam,
Boiorum oppidum, quos ibi Helvetico proelio victos Caesar conlocaverat
Haeduisque attribuerat, oppugnare instituit.

(X. 1) Magnam haec res Caesari difficultatem ad consilium
capiendum adferebat: si reliquam partem hiemis uno loco legiones

125 contineret, ne stipendiariis Haeduorum expugnatis cuncta Gallia
deficeret, quod nullum amicis in eo praesidium positum videret; si
maturius ex hibernis educeret, ne ab re frumentaria duris subvectionibus
laboraret. (2) praestare visum est tamen omnes difficultates perpeti quam
130 tanta contumelia accepta omnium suorum voluntates alienare. (3) itaque
cohortatus Haeduos de supportando commeatu praemittit ad Boios, qui de
suo adventu doceant hortenturque ut in fide maneant atque hostium
impetum magno animo sustineant. (4) duabus Agedinci legionibus atque
impedimentis totius exercitus relictis ad Boios proficiscitur.

(XI. 1) Altero die cum ad oppidum Senonum Vellaunodunum venisset,
135 ne quem post se hostem relinqueret, quo expeditiore re frumentaria
uteretur, oppugnare instituit eoque biduo circumvallavit. (2) tertio die
missis ex oppido legatis de deditioe arma conferri, iumenta produci,
sescentos obsides dari iubet. (3) ea qui conficeret, C. Trebonium legatum
relinquit; ipse ut quam primum iter conficeret, Cenabum Carnutum
140 proficiscitur. (4) qui tum primum adlato nuntio de oppugnatione
Vellaunoduni, cum longius eam rem ductum iri existimarent, praesidium
Cenabi tuendi causa, quod eo mitterent, comparabant. huc biduo pervenit.
(5) castris ante oppidum positis diei tempore exclusus in posterum
oppugnationem differt, quaeque ad eam rem usui sint, militibus imperat,
145 (6) et quod oppidum Cenabum pons fluminis Ligeris contingebat, veritus
ne noctu ex oppido profugerent, duas legiones in armis excubare iubet.
(7) Cenabenses paulo ante mediam noctem silentio ex oppido egressi
flumen transire coeperunt. (8) qua re per exploratores nuntiata Caesar
legiones, quas expeditas esse iusserat, portis incensis intromittit atque
150 oppido potitur perpaucis ex hostium numero desideratis quin cuncti
caperentur, quod pontis atque itinerum angustiae multitudini fugam
intercluserant. (9) oppidum diripit atque incendit, praedam militibus donat,
exercitum Ligerim traducit atque in Biturigum fines pervenit.

(XII. 1) Vercingetorix ubi de Caesaris adventu cognovit, oppugnatione
155 desistit atque obviam Caesari proficiscitur. (2) ille oppidum Biturigum
positum in via Noviodunum oppugnare instituerat. (3) quo ex oppido cum
legati ad eum venissent oratum ut sibi ignosceret suaeque vitae consuleret,
ut celeritate reliquas res conficeret, qua pleraque erat consecutus, arma
conferri, equos produci, obsides dari iubet. (4) parte iam obsidum tradita,
160 cum reliqua administrarentur, centurionibus et paucis militibus intromissis,
qui arma iumentaue conquirent, equitatus hostium procul visus est,
qui agmen Vercingetorigis antecesserat. (5) quem simulatque oppidani
conspexerunt atque in spem auxilii venerunt, clamore sublato arma capere,
portas claudere, murum complere coeperunt. (6) centuriones in oppido,

165 cum ex significatione Gallorum novi aliquid ab iis iniri consilii
intellexissent, gladiis dstrictis portas occupaverunt suosque omnes
incolumes receperunt.

(XIII. 1) Caesar ex castris equitatum educi iubet proeliumque
equestre committit; laborantibus iam suis Germanos equites circiter
170 CCCC submittit, quos ab initio secum habere instituerat. (2) eorum
impetum Galli sustinere non potuerunt atque in fugam coniecti multis
amissis se ad agmen receperunt. quibus profligatis rursus oppidani
perterriti comprehensos eos, quorum opera plebem concitatum
existimabant, ad Caesarem perduxerunt seseque ei dederunt.
175 (3) quibus rebus confectis Caesar ad oppidum Avaricum, quod erat
maximum munitissimumque in finibus Biturigum atque agri
fertilissima regione, profectus est, quod eo oppido recepto civitatem
Biturigum se in potestatem redacturum confidebat.

(XIV. 1) Vercingetorix tot continuis incommodis Vellaunoduni,
180 Cenabi, Novioduni acceptis suos ad concilium convocat. (2) docet
longe alia ratione esse bellum gerendum atque antea gestum sit;
omnibus modis huic rei studendum, ut pabulatione et commeatu
Romani prohibeantur. (3) id esse facile, quod equitatu ipsi abundant et
quod anni tempore sublevantur. (4) pabulum secari non posse;
185 necessario dispersos hostes ex aedificiis petere; hos omnes cotidie ab
equitibus deleri posse. (5) praeterea salutis causa rei familiaris
commoda negligenda; vicos atque aedificia incendi oportere hoc spatio
†a Boia† quoque versus, quo pabulandi causa adire posse videantur.
(6) harum ipsis rerum copiam suppetere, quod quorum in finibus
190 bellum geratur, eorum opibus sublevantur; (7) Romanos aut inopiam
non laturos aut magno cum periculo longius a castris processuros;
(8) neque interesse ipsosne interficiant impedimentisne exuant, quibus
amissis bellum geri non possit. (9) praeterea oppida incendi oportere,
quae non munitione et loci natura ab omni sint periculo tuta, ne suis
195 sint ad detractandam militiam receptacula neu Romanis proposita ad
copiam commeatus praedamque tollendam. (10) haec si gravia aut
acerba videantur, multo illa gravius aestimari debere liberos coniuges
in servitutem abstrahi, ipsos interfici; quae sit necesse accidere victis.

(XV. 1) Omnium consensu hac sententia probata uno die amplius XX
200 urbes Biturigum incenduntur. (2) hoc idem fit in reliquis civitatibus. in
omnibus partibus incendia conspiciuntur, quae etsi magno cum dolore
omnes ferebant, tamen hoc sibi solacii proponebant, quod se prope
explorata victoria celeriter amissa recuperaturos confidebant.
(3) deliberatur de Avarico in communi concilio, incendi placeat an defendi.

205 (4) procumbunt omnibus Gallis ad pedes Bituriges, ne pulcherrimam prope
Galliae totius urbem, quae et praesidio et ornamento sit civitati, suis
manibus succendere cogentur; (5) facile se loci natura defensuros dicunt,
quod prope ex omnibus partibus flumine et palude circumdata unum
210 habeat et perangustum aditum. (6) datur petentibus venia dissuadente
primo Vercingetorige, post concedente et precibus ipsorum et misericordia
vulgi. defensores oppido idonei deliguntur.

(XVI. 1) Vercingetorix minoribus Caesarem itineribus subsequitur et
locum castris deligit paludibus silvisque munitum ab Avarico longe milia
passuum XVI. (2) ibi per certos exploratores in singula diei tempora quae
215 ad Avaricum gererentur cognoscebat et quid fieri vellet imperabat.
(3) omnes nostras pabulationes frumentationesque observabat
dispersosque, cum longius necessario procederent, adoriebatur magnoque
incommodo adficiebat, etsi, quantum ratione provideri poterat, ab nostris
occurrebatur, ut incertis temporibus diversisque itineribus iretur.

220 (XVII. 1) Castris ad eam partem oppidi positis Caesar, quae
intermissa a flumine et a palude aditum ut supra diximus angustum
habebat, aggerem apparare, vineas agere, turres duas constituere coepit;
nam circumvallare loci natura prohibebat. (2) de re frumentaria Boios
atque Haeduos adhortari non destitit; quorum alteri quod nullo studio
225 agebant, non multum adiuvabant, alteri non magnis facultatibus, quod
civitas erat exigua et infirma, celeriter quod habuerunt consumpserunt.
(3) summa difficultate rei frumentariae adfecto exercitu tenuitate
Boiorum, indiligentia Haeduorum, incendiis aedificiorum, usque eo ut
complures dies frumento milites caruerint et pecore ex longinquiore
230 vicis adacto extremam famem sustentarent, nulla tamen ex iis vox est
audita populi Romani maiestate et superioribus victoriis indigna.
(4) quin etiam Caesar cum in opere singulas legiones appellaret, et si
acerbius inopiam ferrent, se dimissurum oppugnationem diceret,
universi ab eo ne id faceret petebant: (5) sic se complures annos illo
235 imperante meruisse, ut nullam ignominiam acciperent, numquam infecta
re discederent: (6) hoc se ignominiae loco laturos, si inceptam
oppugnationem reliquissent; (7) praestare omnes perferre acerbitates,
quam non civibus Romanis qui Cenabi perfidia Gallorum interissent
parentarent. (8) haec eadem centurionibus tribunisque militum
240 mandabant, ut per eos ad Caesarem deferrentur.

(XVIII. 1) Cum iam muro turres adpropinquassent, ex captivis
Caesar cognovit Vercingetorigem consumpto pabulo castra movisse
propius Avaricum atque ipsum cum equitatu expeditisque, qui inter
equites proeliari consuessent, insidiandi causa eo profectum, quo

245 nostros postero die pabulatum venturos arbitraretur. (2) quibus rebus
cognitis media nocte silentio profectus ad hostium castra mane
pervenit. (3) illi celeriter per exploratores adventu Caesaris cognito
carros impedimenta que sua in artiores silvas abdiderunt, copias omnes
250 in loco edito atque aperto instruxerunt. (4) qua re nuntiata Caesar
celeriter sarcinas conferri, arma expediri iussit.

(XIX. 1) Collis erat leviter ab infimo acclivis. hunc ex omnibus fere
partibus palus difficilis atque impedita cingebat non latior pedibus
quinquaginta. (2) hoc se colle interruptis pontibus Galli fiducia loci
continebant generatimque distributi in civitates omnia vada ac saltus eius
255 paludis certis custodiis obtinebant, (3) sic animo parati ut, si eam paludem
Romani perrumpere conarentur, haesitantes premerent ex loco superiore,
ut, qui propinquitatem loci videret, paratos prope aequo Marte ad
dimicandum existimaret, qui iniquitatem condicionis perspiceret, inani
simulatione sese ostentare cognosceret. (4) indignantes milites Caesar,
260 quod conspectum suum hostes ferre possent tantulo spatio interiecto, et
signum proelii exposcentes edocet quanto detrimento et quot virorum
fortium morte necesse sit constare victoriam; (5) quos cum sic animo
paratos videat, ut nullum pro sua laude periculum recuset, summae se
iniquitatis condemnari debere, nisi eorum vitam sua salute habeat
265 cariorem. (6) sic milites consolatus eodem die reducit in castra reliquaque
quae ad oppugnationem oppidi pertinebant administrare instituit.

(XX. 1) Vercingetorix, cum ad suos redisset, prodicionis insimulatus,
quod castra propius Romanos movisset, quod cum omni equitatu
discessisset, quod sine imperio tantas copias reliquisset, quod eius discessu
270 Romani tanta opportunitate et celeritate venissent; (2) non haec omnia
fortuito aut sine consilio accidere potuisse; regnum illum Galliae malle
Caesaris concessu quam ipsorum habere beneficio – (3) tali modo
accusatus ad haec respondit: quod castra movisset, factum inopia pabuli
etiam ipsis hortantibus; quod propius Romanos accessisset, persuasum loci
275 opportunitate, qui se ipse sine munitione defenderet; (4) equitum vero
operam neque in loco palustri desiderari debuisse et illic fuisse utilem quo
sint profecti. (5) summam imperii se consulto nulli discedentem tradidisse,
ne is multitudinis studio ad dimicandum impelleretur; cui rei propter animi
mollitiem studere omnes videret, quod diutius laborem ferre non possent.
280 (6) Romani si casu intervenerint, Fortunae, si alicuius indicio vocati, huic
habendam gratiam, quod et paucitatem eorum ex loco superiore
cognoscere et virtutem despiciere potuerint, qui dimicare non ausi turpiter
se in castra receperint. (7) imperium se a Caesare per prodicionem nullum
desiderare quod habere victoria posset, quae iam esset sibi atque omnibus

285 Gallis explorata; quin etiam ipsis remitteret, si sibi magis honorem tribuere
quam ab se salutem accipere videantur. (8) «haec ut intellegatis, – inquit, –
a me sincere pronuntiari, audite Romanos milites». (9) producit servos,
quos in pabulatione paucis ante diebus exceperat et fame vinculisque
290 excruciverat. (10) hi iam ante edocti quae interrogati pronuntiarent,
milites se esse legionarios dicunt; fame atque inopia adductos clam ex
castris exisse, si quid frumenti aut pecoris in agris reperire possent;
(11) simili omnem exercitum inopia premi nec iam vires sufficere
cuiusquam nec ferre operis laborem posse; itaque statuisse imperatorem, si
295 nihil in oppugnatione oppidi profecisset, triduo exercitum deducere.
(12) «haec, – inquit, – a me, – Vercingetorix, – beneficia habetis, quem
prodicionis insimulatis; cuius opera sine vestro sanguine tantum exercitum
victorem fame paene consumptum videtis; quem turpiter se ex hac fuga
recipientem ne qua civitas suis finibus recipiat, a me provisum est».

(XXI. 1) Conclamat omnis multitudo et suo more armis concrepat,
300 quod facere in eo consuerunt cuius orationem approbant; summum esse
Vercingetorigem ducem nec de eius fide dubitandum nec maiore ratione
bellum administrari posse. (2) statuunt ut X milia hominum delecta ex
omnibus copiis in oppidum submittantur, (3) nec solis Biturigibus
communem salutem committendam censent, quod paene in eo, si id
305 oppidum retinuisent, summam victoriae constare intellegebant.

(XXII. 1) Singulari militum nostrorum virtuti consilia cuiusque
modi Gallorum occurrebant, ut est summae genus sollertiae atque ad
omnia imitanda et efficienda, quae a quoque traduntur, aptissimum.
(2) nam et laqueis falces avertent, quas cum destinaverant, tormentis
310 introrsus reducebant, et aggerem cuniculis subtrahebant, eo scientius
quod apud eos magna sunt ferrariae atque omne genus cuniculorum
notum atque usitatum est. (3) totum autem murum ex omni parte
turribus contabulaverant atque has coriis intexerant. (4) tum crebris
diurnis nocturnisque eruptionibus aut aggeri ignem inferebant aut
315 milites occupatos in opere adoriebantur, et nostrarum turrium
altitudinem, quantum has cotidianus agger expresserat, (5) commissis
suarum turrium malis adaequabant et apertos cuniculos praeusta et
praeacuta materia et pice fervefacta et maximi ponderis saxis
morabantur moenibusque adpropinquare prohibebant.

(XXIII. 1) Muri autem omnes Gallici hac fere forma sunt. trabes
320 directae perpetuae in longitudinem paribus intervallis, distantes inter
se binos pedes, in solo conlocantur. (2) hae revinciuntur introrsus et
multo aggere vestiuntur, ea autem quae diximus intervalla grandibus in
fronte saxis effarciuntur. (3) his conlocatis et coagmentatis alius

325 insuper ordo additur, ut idem illud intervallum servetur, neque inter se
contingant trabes, sed paribus intermissae spatiis singulae singulis
saxis interiectis arte contineantur. (4) sic deinceps omne opus
contextitur, dum iusta muri altitudo expleatur. (5) hoc cum in speciem
330 varietatemque opus deforme non est alternis trabibus ac saxis, quae
rectis lineis suos ordines servant, tum ad utilitatem et defensionem
urbium summam habet opportunitatem, quod et ab incendio lapis et ab
ariete materia defendit, quae perpetuis trabibus pedes quadragenos
plerumque introrsus revincta neque perrumpi neque distrahi potest.

(XXIV. 1) His tot rebus impedita oppugnatione milites, cum toto
335 tempore luto – frigore et adsidiis imbribus – tardarentur, tamen
continenti labore omnia haec superaverunt et diebus XXV aggerem
latum pedes CCCXXX, altum pedes LXXX exstruxerunt. (2) cum is
murus hostium paene contingeret et Caesar ad opus consuetudine
excubaret militesque hortaretur ne quod omnino tempus ab opere
340 intermitteretur, paulo ante tertiam vigiliam est animadversum fumare
aggerem, quem cuniculo hostes succenderant (3) eodemque tempore
toto muro clamore sublato duabus portis ab utroque latere turrium
eruptio fiebat. (4) alii faces atque aridam materiam de muro in aggerem
eminus iaciebant, picem reliquasque res, quibus ignis excitari potest,
345 fundebant, ut, quo primum occurreretur aut cui rei ferretur auxilium,
vix ratio iniri posset. (5) tamen quod instituto Caesaris duae semper
legiones pro castris excubabant pluresque partitis temporibus erant in
opere, celeriter factum est ut alii eruptionibus resisterent, alii turres
reducerent aggeremque interscinderent, omnis vero ex castris
350 multitudo ad restinguendum concurreret.

(XXV. 1) Cum in omnibus locis consumpta iam reliqua parte noctis
pugnaretur semperque hostibus spes victoriae redintegraretur, eo magis
quod deustos pluteos turrium videbant nec facile adire apertos ad
auxiliandum animadvertebant, semperque ipsi recentes defessis
355 succederent omnemque Galliae salutem in illo vestigio temporis
positam arbitrarentur, accidit inspectantibus nobis, quod dignum
memoria visum praetereundum non existimavimus. (2) quidam ante
portam oppidi Gallus, qui per manus sebi ac picis traditas glaebas in
ignem e regione turris proiciebat, scorpione ab latere dextro traiectus
360 exanimatusque concidit. (3) hunc ex proximis unus iacentem
transgressus eodem illo munere fungebatur. (4) eadem ratione ictu
scorpionis exanimato alteri successit tertius et tertio quartus, nec prius
ille est a propugnatoribus vacuus relictus locus quam restincto aggere
atque omni ea parte submotis hostibus finis est pugnandi factus.

365 (XXVI. 1) Omnia experti Galli, quod res nulla successerat, postero die consilium ceperunt ex oppido profugere, hortante et iubente Vercingetorige. (2) id silentio noctis conati non magna iactura suorum sese effecturos sperabant, propterea quod neque longe ab oppido castra Vercingetorigis aberant et palus perpetua, quae intercedebat, Romanos
370 ad insequendum tardabat. (3) iamque haec facere noctu apparabant, cum matres familiae repente in publicum procurrerunt flentesque proiectae ad pedes suorum omnibus precibus petierunt ne se et communes liberos hostibus ad supplicium dederent, quas ad capiendam fugam naturae et virium infirmitas impediret. (4) ubi eos in sententia
375 perstare viderunt, quod plerumque in summo periculo timor misericordiam non recipit, conclamare et significare de fuga Romanis coeperunt. (5) quo timore perterriti Galli, ne ab equitatu Romanorum viae praecoccuparentur, consilio destiterunt.

(XXVII. 1) Postero die Caesar promoti turri perfectisque operibus, quae facere instituerat, magno coorto imbri non inutilem hanc ad
380 capiendum consilium tempestatem arbitratus, quod paulo incautius custodias in muro dispositas videbat, suos quoque languidius in opere versari iussit et quid fieri vellet ostendit, (2) legionibusque intra vineas in occulto expeditis, cohortatus ut aliquando pro tantis laboribus fructum victoriae perciperent, iis qui primi murum ascendissent, praemia proposuit militibusque signum dedit. (3) illi subito ex omnibus
385 partibus evolaverunt murumque celeriter compleverunt.

(XXVIII. 1) Hostes re nova perterriti, muro turribusque deiecti in foro ac locis patentioribus cuneatim constiterunt hoc animo, ut, si qua
390 ex parte obviam contra veniretur, acie instructa depugnarent. (2) ubi neminem in aequum locum sese demittere, sed toto undique muro circumfundi viderunt, veriti, ne omnino spes fugae tolleretur, abiectis armis ultimas oppidi partes continenti impetu petiverunt, (3) parsque ibi, cum angusto exitu portarum se ipsi premerent, a militibus, pars iam
395 egressa portis ab equitibus est interfecta. (4) nec fuit quisquam qui praedae studeret. sic et Cenabensi caede et labore operis incitati non aetate confectis, non mulieribus, non infantibus pepercerunt. (5) denique ex omni eo numero, qui fuit circiter milium XL, vix DCCC, qui primo clamore audito se ex oppido eiecerant, incolumes ad
400 Vercingetorigem pervenerunt. (6) quos ille multa iam nocte silentio sic ex fuga excepit, veritus ne qua in castris ex eorum concursu et misericordia vulgi seditio oriretur, ut procul in via dispositis familiaribus suis principibusque civitatum disparandos deducendosque ad suos curaret, quae cuique civitati pars castrorum ab initio obvenerat.

405 (XXIX. 1) Postero die concilio convocato consolatus cohortatusque
est, ne se admodum animo demitterent neve perturbarentur incommodo.
(2) non virtute neque in acie vicisse Romanos, sed artificio quodam et
scientia oppugnationis, cuius rei fuerint ipsi imperiti. (3) errare, si qui in
410 bello omnes secundos rerum proventus expectent. (4) sibi numquam
placuisse Avaricum defendi, cuius rei testes ipsos haberet, sed factum
imprudencia Biturigum et nimia obsequentia reliquorum, uti hoc
incommodum acciperetur. (5) id tamen se celeriter maioribus commodis
sanaturum. (6) nam quae ab reliquis Gallis civitates dissentirent, has sua
415 diligentia adiuncturum atque unum consilium totius Galliae effecturum,
cuius consensui ne orbis quidem terrarum possit obsistere; idque se
prope iam effectum habere. (7) interea aequum esse ab iis communis
salutis causa impetrari, ut castra munire instituerent, quo facilius
repentinos hostium impetus sustinere possent.

(XXX. 1) Fuit haec oratio non ingrata Gallis, et maxime quod ipse
420 animo non defecerat tanto accepto incommodo neque in occultum
abdiderat et conspectum multitudinis fugerat, (2) plusque animo
providere et praesentire existimabatur, quod re integra primo
incendendum Avaricum, post deserendum censuerat. (3) itaque ut
425 reliquorum imperatorum res adversae auctoritatem minuunt, sic huius
ex contrario dignitas incommodo accepto in dies augebatur. (4) simul
in spem veniebant eius adfirmatione de reliquis adiungendis
civitatibus; primumque eo tempore Galli castra munire instituerunt, et
sic erant animo consternati homines insueti laboris, ut omnia quae
imperarentur sibi patienda et perferenda existimarent.

430 (XXXI. 1) Nec minus quam est pollicitus Vercingetorix animo
laborabat, ut reliquas civitates adiungeret, atque earum principes donis
pollicitationibusque adliciebat. (2) huic rei idoneos homines deligebat,
quorum quisque aut oratione subdola aut amicitia facillime capi posset.
435 (3) qui Avarico expugnato refugerant, armandos vestiendosque curat;
(4) simul ut deminutae copiae redintegrarentur, imperat certum numerum
militum civitatibus, quem et quam ante diem in castra adduci velit,
sagittariosque omnes, quorum erat permagnus in Gallia numerus, conquiri
et ad se mitti iubet. his rebus celeriter id, quod Avarici deperierat, expletur.
440 (5) interim Teutomatus, Olloviconis filius, rex Nitiobrogum, cuius pater ab
senatu nostro amicus erat appellatus, cum magno equitum suorum numero
et quos ex Aquitania conduxerat ad eum pervenit.

(XXXII. 1) Caesar Avarici complures dies commoratus summamque
ibi copiam frumenti et reliqui commeatus nactus exercitum ex labore
atque inopia refecit. (2) iam prope hieme confecta, cum ipso anni tempore

445 ad gerendum bellum vocaretur et ad hostem proficisci constituisset, sive
eum ex paludibus silvisque elicere sive obsidione premere posset, legati
ad eum principes Haeduorum veniunt oratum, ut maxime necessario
tempore civitati subveniat; (3) summo esse in periculo rem, quod, cum
450 singuli magistratus antiquitus creari atque regiam potestatem annum
obtinere consuessent, duo magistratum gerant et se uterque eorum legibus
creatum dicat. (4) horum esse alterum Convictolitavem, florentem et
inlustrem adulescentem, alterum Cotum, antiquissima familia natum
atque ipsum hominem summae potentiae et magnae cognationis, cuius
frater Valetiacus proximo anno eundem magistratum gesserit.
455 (5) civitatem esse omnem in armis; divisum senatum, divisum populum
in suas cuiusque eorum clientelas. quodsi diutius alatur controversia, fore
uti pars cum parte civitatis confligat; id ne accidat, positum in eius
diligentia atque auctoritate.

(XXXIII. 1) Caesar etsi a bello atque hoste discedere
460 detrimentosum esse existimabat, tamen non ignorans, quanta ex
dissensionibus incommoda oriri consuessent, ne tanta et tam coniuncta
populo Romano civitas, quam ipse semper aluisset omnibusque rebus
ornasset, ad vim atque arma descenderet atque ea pars, quae minus sibi
confideret, auxilia a Vercingetorige arcesseret, (2) huic rei
465 praevertendum existimavit et, quod legibus Haeduorum iis, qui
summum magistratum obtinerent, excedere ex finibus non liceret, ne
quid de iure aut de legibus eorum deminuisse videretur, ipse in
Haeduos proficisci statuit senatumque omnem et quos inter
controversia esset ad se Decetiam evocavit. (3) cum prope omnis
470 civitas eo convenisset docereturque paucis clam convocatis alio loco,
alio tempore atque oportuerit, fratrem a fratre renuntiatum, cum leges
duos ex una familia vivo utroque non solum magistratus creari
vetarent, sed etiam in senatu esse prohiberent, Cotum imperium
deponere coegit, (4) Convictolitavem, qui per sacerdotes more civitatis
475 intermissis magistratibus esset creatus, potestatem obtinere iussit.

(XXXIV. 1) Hoc decreto interposito cohortatus Haeduos, ut
controversiarum ac dissensionis obliviscerentur atque omnibus omissis
his rebus huic bello servirent eaque, quae meruissent, praemia ab se
devicta Gallia exspectarent equitatumque omnem et peditum milia X
480 sibi celeriter mitterent, quae in praesidiis rei frumentariae causa
disponeret, exercitum in duas partes divisit: (2) quattuor legiones in
Senones Parisiosque Labieno ducendas dedit, sex ipse in Arvernos ad
oppidum Gergoviam secundum flumen Elaver duxit; equitatus partem
illi attribuit, partem sibi reliquit. (3) qua re cognita Vercingetorix

485 omnibus interruptis eius fluminis pontibus ab altera fluminis parte iter
facere coepit.

(XXXV. 1) Cum uterque utrique esset exercitui in conspectu,
fereque e regione castris castra poneret, dispositis exploratoribus,
490 necubi effecto ponte Romani copias traducerent, erat in magnis Caesari
difficultatibus res, ne maiorem aestatis partem flumine impediretur,
quod non fere ante autumnum Elaver vado transiri solet. (2) itaque ne
id accideret, silvestri loco castris positus e regione unius eorum
pontium, quos Vercingetorix rescindendos curaverat, postero die cum
495 duabus legionibus in occulto restitit; (3) reliquas copias cum omnibus
impedimentis, ut consueverat, misit, sic collocatis quibusdam
cohortibus, uti numerus legionum constare videretur. (4) his quam
longissime possent progredi iussis, cum iam ex diei tempore
coniecturam caperet in castra perventum, isdem publicis, quarum pars
inferior integra remanebat, pontem reficere coepit. (5) celeriter effecto
500 opere legionibusque traductis et loco castris idoneo delecto reliquas
copias revocavit. (6) Vercingetorix re cognita, ne contra suam
voluntatem dimicare cogeretur, magnis itineribus antecessit.

(XXXVI. 1) Caesar ex eo loco quintis castris Gergoviam pervenit
equestrique eo die proelio levi facto, perspecto urbis situ, quae posita
505 in altissimo monte omnes aditus difficiles habebat, de oppugnatione
desperavit, de obsessione non prius agendum constituit, quam rem
frumentariam expedisset. (2) at Vercingetorix, castris prope oppidum
in monte positus, mediocribus circum se intervallis separatim
singularum civitatum copias conlocaverat atque omnibus eius iugi
510 collibus occupatis, qua despici poterat, (3) horribilem speciem
praebebat principesque earum civitatum, quos sibi ad consilium
capiendum delegerat, prima luce cotidie ad se convenire iubebat, seu
quid communicandum seu quid administrandum videretur, (4) neque
ullum fere diem intermittebat, quin equestri proelio interiectis
515 sagittariis, quid in quoque esset animi ac virtutis suorum, periclitaretur.
(5) erat e regione oppidi collis sub ipsis radicibus montis egregie
munitus atque ex omni parte circumcensus; quem si tenerent nostri, et
aquae magna parte et pabulatione libera prohibitori hostes videbantur.
(6) sed is locus praesidio ab his, non nimis firmo, tenebatur. (7) tamen
520 silentio noctis Caesar ex castris egressus, priusquam subsidio ex
oppido veniri posset, deiecto praesidio potitus loco duas ibi legiones
conlocavit fossamque duplicem duodenum pedum a maioribus castris
ad minora perduxit, ut tuto ab repentino hostium incursu singuli
commeari possent.

525 (XXXVII. 1) Dum haec ad Gergoviam geruntur, Convictolitavis
Haeduus, cui magistratum adiudicatum a Caesare demonstravimus,
sollicitatus ab Arvernibus pecunia cum quibusdam adolescentibus
conloquitur, quorum erat princeps Litavicus atque eius fratres,
amplissima familia nati adolescentes. (2) cum his praemium
530 communicat hortaturque ut se liberos et imperio natos meminerint.
(3) unam esse Haeduorum civitatem, quae certissimam Galliae
victoriam distineat; eius auctoritate reliquas contineri; qua traducta
locum consistendi Romanis in Gallia non fore. (4) esse nonnullo se
Caesaris beneficio adfectum, sic tamen, ut iustissimam apud eum
535 causam obtinuerit; sed plus communi libertati tribuere. (5) cur enim
potius Haedui de suo iure et de legibus ad Caesarem disceptatorem
quam Romani ad Haeduos veniant? (6) celeriter adolescentibus et
oratione magistratus et praemio deductis, cum se vel principes eius
consilii fore profiterentur, ratio perficiendi quaerebatur, quod civitatem
540 temere ad suscipiendum bellum adduci posse non confidebant.
(7) placuit, uti Litavicus decem illis milibus, quae Caesari ad bellum
mitterentur, praeficeretur atque ea ducenda curaret fratresque eius ad
Caesarem praecurrerent. reliqua qua ratione agi placeat constituunt.

(XXXVIII. 1) Litavicus accepto exercitu cum milia passuum
545 circiter XXX a Gergovia abesset, convocatis subito militibus lacrimans
(2) «quo proficiscimur, – inquit, – milites? omnis noster equitatus,
omnis nobilitas interiit; principes civitatis, Eporedorix et Viridomarus,
insimulati prodicionis ab Romanis indicta causa interfecti sunt. (3) haec
550 ab his cognoscite, qui ex ipsa caede fugerunt; nam ego fratribus atque
omnibus meis propinquis interfectis dolore prohibeor quae gesta sunt
pronuntiare». (4) producuntur ii, quos ille edocuerat quae dici vellet,
atque eadem, quae Litavicus pronuntiaverat, multitudini exponunt:
(5) omnes equites Haeduorum interfectos, quod conlocuti cum
Arvernibus dicerentur; ipsos se inter multitudinem militum occultasse
555 atque ex media caede fugisse. (6) conclamant Haedui et Litavicum
obsecrant, ut sibi consulat. «quasi vero, – inquit ille, – consilii sit res ac
non necesse sit nobis Gergoviam contendere et cum Arvernibus nosmet
coniungere. (7) an dubitamus, quin nefario facinore admissio Romani
iam ad nos interficiendos concurrant? (8) proinde si quid in nobis
560 animi est, persequamur eorum mortem, qui indignissime interierunt,
atque hos latrones interficiamus». ostendit cives Romanos, qui eius
praesidii fiducia una ierant. (9) continuo magnum numerum frumenti
commeatusque diripit, ipsos crudeliter excruciatos interficit.
(10) nuntios tota civitate Haeduorum dimittit, in eodem mendacio de

565 caede equitum et principum permanet; hortatur ut simili ratione atque ipse fecerit suas iniurias persequantur.

(XXXIX. 1) Eporedorix Haeduus, summo loco natus adulescens et summae domi potentiae, et una Viridomarus pari aetate et gratia, sed genere dispari, quem Caesar ab Diviciaco sibi traditum ex humili loco
570 ad summam dignitatem perduxerat, in equitum numero convenerant nominatim ab eo evocati. (2) his erat inter se de principatu contentio et in illa magistratum controversia alter pro Convictolitavi, alter pro Coto summis opibus pugnaverat. (3) ex his Eporedorix cognito Litavicci consilio media fere nocte rem ad Caesarem defert; orat ne
575 patiat civitatem pravis adulescentium consiliis ab amicitia populi Romani deficere; quod futurum provideat, si se tot hominum milia cum hostibus coniunxerint, quorum salutem neque propinqui neglegere neque civitas levi momento aestimare posset.

(XL. 1) Magna adfectus sollicitudine hoc nuntio Caesar, quod semper
580 Haeduum civitati praecipue indulserat, nulla interposita dubitatione legiones expeditas quattuor equitatumque omnem ex castris educit; (2) nec fuit spatium tali tempore ad contrahenda castra, quod res posita in celeritate videbatur; C. Fabium legatum cum legionibus duabus castris praesidio relinquit. (3) fratres Litavicci cum comprehendi iussisset, paulo
585 ante reperit ad hostes fugisse. (4) adhortatus milites ne necessario tempore itineris labore permoveantur, cupidissimis omnibus progressus milia passuum XXV agmen Haeduum conspicatur. immisso equitatu iter eorum moratur atque impedit interdicitque omnibus ne quemquam interficiant. (5) Eporedorigem et Viridomarum, quos illi interfectos
590 existimabant, inter equites versari suosque appellare iubet. (6) his cognitis et Litavicci fraude perspecta Haedui manus tendere et deditionem significare et proiecitis armis mortem deprecari incipiunt. (7) Litaviccus cum suis clientibus, quibus more Gallorum nefas est etiam in extrema fortuna deserere patronos, Gergoviam per fugit.

(XLI. 1) Caesar nuntiis ad civitatem Haeduum missis, qui suo
595 beneficio conservatos docerent quos iure belli interficere potuisset, tribusque horis noctis exercitui ad quietem datis castra ad Gergoviam movit. (2) medio fere itinere equites a Fabio missi quanto res in periculo fuerit exponunt. summis copiis castra oppugnata demonstrant,
600 cum crebro integri defessis succederent nostrosque adsiduo labore defatigarent, quibus propter magnitudinem castrorum perpetuo esset isdem in vallo permanendum. (3) multitudine sagittarum atque omni genere telorum multos vulneratos; ad haec sustinenda magno usui fuisse tormenta. (4) Fabium discessu eorum duabus relictis portis

605 obstruere ceteras pluteosque vallo addere et se in posterum diem
similem ad casum parare. (5) his rebus cognitis Caesar summo studio
militum ante ortum solis in castra pervenit.

(XLII. 1) Dum haec ad Gergoviam geruntur, Haedui primis nuntiis ab
Litavico acceptis nullum sibi ad cognoscendum spatium relinquunt.
610 (2) impellit alios avaritia, alios iracundia et temeritas – quae maxime illi
hominum generi est innata – ut levem auditionem habeant pro re
comperta. (3) bona civium Romanorum diripiunt, caedes faciunt, in
servitutem abstrahunt. (4) adiuvat rem proclinatam Convictolitavis
plebemque ad furorum impellit, ut facinore admissa ad sanitatem reverti
615 pudeat. (5) M. Aristium tribunum militum iter ad legionem facientem fide
data ex oppido Cavillono educunt; idem facere cogunt eos, qui negotiandi
causa ibi constiterant. (6) hos continuo <in> itinere adorti omnibus
impedimentis exuunt; repugnantes diem noctemque obsident; multis
utrimque interfectis maiorem multitudinem ad arma concitant.

620 (XLIII. 1) Interim nuntio adlato omnes eorum milites in potestate
Caesaris teneri, concurrunt ad Aristium, nihil publico factum consilio
demonstrant; quaestionem de bonis direptis decernunt, (2) Litavici
fratrumque bona publicant, legatos ad Caesarem sui purgandi gratia
mittunt. (3) haec faciunt recuperandorum suorum causa; sed
625 contaminati facinore et capti compendio ex direptis bonis, quod ea res
ad multos pertinebat, et timore poenae exterriti consilia clam de bello
inire incipiunt civitatesque reliquas legationibus sollicitant. (4) quae
tametsi Caesar intellegebat, tamen quam mitissime potest legatos
appellat; nihil se propter inscientiam levitatemque vulgi gravius de
630 civitate iudicare neque de sua in Haeduos benevolentia deminuere.
(5) ipse maiorem Galliae motum exspectans, ne ab omnibus civitatibus
circumsisteretur, consilia inibat, quemadmodum a Gergovia discederet
ac rursus omnem exercitum contraheret, (6) ne profectio nata a timore
defectionis similisque fugae videretur.

635 (XLIV. 1) Haec cogitanti accidere visa est facultas bene gerendae
rei. nam cum in minora castra operis perspiciendi causa venisset,
animadvertit collem qui ab hostibus tenebatur nudatum hominibus, qui
superioribus diebus vix prae multitudine cerni poterat. (2) admiratus
quaerit ex perfugis causam, quorum magnus ad eum cotidie numerus
640 confluebat. (3) constabat inter omnes – quod iam ipse Caesar per
exploratores cognoverat – dorsum esse eius iugi prope aequum, sed
silvestre et angustum, qua esset aditus ad alteram oppidi partem;
(4) vehementer huic illos loco timere nec iam aliter sentire, uno colle
ab Romanis occupato si alterum amisissent, quin paene circumvallati

645 atque omni exitu et pabulatione interclusi viderentur; (5) ad hunc
muniendum locum omnes a Vercingetorige evocatos.

(XLV. 1) Hac re cognita Caesar mittit complures equitum turmas
eodem media nocte; imperat his ut paulo tumultuosius omnibus locis
pervagentur. (2) prima luce magnum numerum impedimentorum ex
650 castris mulorumque produci deque his stramenta detrahi mulionesque
cum cassidibus equitum specie ac simulatione collibus circumvehi
iubet. (3) his paucos addit equites, qui latius ostentationis causa
vagentur. longo circuitu easdem omnes iubet petere regiones. (4) haec
procul ex oppido videbantur, ut erat a Gergovia despectus in castra,
655 neque tanto spatio certi quid esset explorari poterat. (5) legionem unam
eodem iugo mittit et paulum progressam inferiore constituit loco
silvisque occultat. (6) augetur Gallis suspicio atque omnes illo ad
munitionem copiae traducuntur. (7) vacua castra hostium Caesar
conspicatus tectis insignibus suorum occultatisque signis militaribus
660 raros milites, ne ex oppido animadverterentur, ex maioribus castris in
minora traducit legatisque, quos singulis legionibus praefecerat, quid
fieri velit, ostendit; (8) in primis monet ut contineant milites, ne studio
pugnandi aut spe praedae longius progrediantur; (9) quid iniquitas loci
habeat incommodi proponit; hoc una celeritate posse vitari; occasionis
665 esse rem, non proelii. (10) his rebus expositis signum dat et ab dextra
parte alio ascensu eodem tempore Haeduos mittit.

(XLVI. 1) Oppidi murus a planitie atque initio ascensus recta
regione, si nullus amfractus intercederet, mille CC passus aberat;
(2) quicquid huc circuitus ad molliendum clivum accesserit, id spatium
670 itineris augebat. (3) a medio fere colle in longitudinem, ut natura montis
ferebat, ex grandibus saxis sex pedum murum qui nostrum impetum
tardaret, praeduxerant Galli atque inferiore omni spatio vacuo relicto
superiorem partem collis usque ad murum oppidi densissimis castris
compleverant. (4) milites dato signo celeriter ad munitionem perveniunt
eamque transgressi trinīs castris potiuntur; (5) ac tanta fuit in capiendis
675 castris celeritas, ut Teutomatus, rex Nitiobrogum, subito in tabernaculo
oppressus, ut meridie conquieverat, superiore corporis parte nuda
vulnerato equo vix se ex manibus praedantium militum eriperet.

(XLVII. 1) Consecutus id quod animo proposuerat Caesar receptui cani
680 iussit legionique decimae, quacum erat, contionatus signa constituit. (2) at
reliquarum legionum milites non audito sono tubae, quod satis magna
valles intercedebat, tamen a tribunis militum legatisque, ut erat a Caesare
praeceptum, retinebantur; (3) sed elati spe celeris victoriae et hostium fuga
et superiorum temporum secundis proeliis nihil adeo arduum sibi

685 existimabant, quod non virtute consequi possent, neque finem prius
sequendi fecerunt quam muro oppidi portisque adpropinquarunt. (4) tum
vero ex omnibus urbis partibus orto clamore, qui longius aberant, repentino
tumultu perterriti, cum hostem intra portas esse existimarent, sese ex
690 oppido eiecerunt. (5) matres familiae de muro vestem argentumque
iactabant et pectore nudo prominentes passis manibus obtestabantur
Romanos, ut sibi parcerent neu, sicut Avarici fecissent, ne a mulieribus
quidem atque infantibus abstinerent; (6) nonnullae de muro per manus
demissae sese militibus tradebant. (7) L. Fabius centurio legionis VIII,
695 quem inter suos eo die dixisse constabat excitari se Avaricensibus praemiis
neque commissurum, ut prius quisquam murum ascenderet, tres suos
nactus manipulares atque ab his sublevatus murum ascendit, eos ipse
rursus singulos exceptans in murum extulit.

(XLVIII. 1) Interim ii qui ad alteram partem oppidi, ut supra
demonstravimus, munitionis causa convenerant, primo exaudito
700 clamore, inde etiam crebris nuntiis incitati oppidum ab Romanis teneri,
praemissis equitibus magno cursu eo contenderunt. (2) eorum ut
quisque primus venerat, sub muro consistebat suorumque pugnantium
numerum augebat. (3) quorum cum magna multitudo convenisset,
705 matres familiae quae paulo ante Romanis de muro manus tendebant,
suos obtestari et more Gallico passum capillum ostentare liberosque in
conspectum proferre coeperunt. (4) erat Romanis nec loco nec numero
aequa contentio; simul et cursu et spatio pugnae defatigati non facile
recentes atque integros sustinebant.

(XLIX. 1) Caesar cum iniquo loco pugnari hostiumque augeri
710 copias videret, praemetuens suis ad T. Sextium legatum, quem
minoribus castris praesidio reliquerat, misit, ut cohortes ex castris
celeriter educeret et sub infimo colle ab dextro latere hostium
constitueret, (2) ut, si nostros loco depulsos vidisset, quominus libere
hostes insequerentur terreret. (3) ipse paulum ex eo loco cum legione
715 progressus, ubi constiterat, eventum pugnae exspectabat.

(L. 1) Cum acerrime comminus pugnaretur, hostes loco et numero,
nostri virtute confiderent, subito sunt Haedui visi ab latere nostris
aperto, quos Caesar ab dextra parte alio ascensu manus destinandae
causa miserat. (2) hi similitudine armorum vehementer nostros
720 perterruerunt, ac tametsi dextris umeris exsertis animadvertebantur,
quod insigne pactum esse consuerat, tamen id ipsum sui fallendi causa
milites ab hostibus factum existimabant. (3) eodem tempore L. Fabius
centurio quique una murum ascenderant, circumventi atque interfecti
de muro praecipitabantur. (4) M. Petronius, eiusdem legionis centurio,

725 cum portas excidere conatus esset, a multitudine oppressus ac sibi
desperans multis iam vulneribus acceptis, manipularibus suis, qui illum
erant secuti «quoniam, – inquit, – me una vobiscum servare non
possum, vestrae quidem certe vitae prospiciam, quos cupiditate gloriae
adductus in periculum deduxi. (5) vos data facultate vobis consulite».

730 simul in medios hostes inrupit duobusque interfectis reliquos a porta
paulum submovit. (6) conantibus auxiliari suis «frustra, – inquit, –
meae vitae subvenire conamini, quem iam sanguis viresque deficiunt.
proinde abite, dum est facultas, vosque ad legionem recipite». ita
pugnans post paulo concidit ac suis saluti fuit.

735 (LI. 1) Nostri cum undique premerentur, sex et quadraginta
centurionibus amissis deiecti sunt loco. sed intolerantius Gallos
insequentes legio decima tardavit, quae pro subsidio paulo aequiore
loco constiterat. (2) hanc rursus XIII. legionis cohortes exceperunt,
quae ex castris minoribus eductae cum T. Sextio legato locum ceperant

740 superiorem. (3) legiones ubi primum planitiem attigerunt, infestis
contra hostem signis constiterunt. (4) Vercingetorix ab radicibus collis
suos intra munitiones reduxit. eo die milites sunt paulo minus
septingenti desiderati.

(LII. 1) Postero die Caesar contione advocata temeritatem militum
745 cupiditatemque reprehendit, quod sibi ipsi iudicavissent, quo
procedendum aut quid agendum videretur, neque signo recipiendi dato
constitissent neque a tribunis militum legatisque retineri potuissent.
(2) exposuit quid iniquitas loci posset, quod ipse ad Avaricum sensisset,
cum sine duce et sine equitatu deprehensis hostibus exploratam victoriam

750 dimisisset, ne parvum modo detrimentum in contentione propter
iniquitatem loci accideret. (3) quantopere eorum animi magnitudinem
admiraretur, quos non castrorum munitiones, non altitudo montis, non
murus oppidi tardare potuisset, tantopere licentiam arrogantiamque
reprehendere, quod plus se quam imperatorem de victoria atque exitu

755 rerum sentire existimarent; (4) non minus se in milite modestiam et
continentiam quam virtutem atque animi magnitudinem desiderare.

(LIII. 1) Hac habita contione et ad extremam orationem confirmatis
militibus, ne ob hanc causam animo permoverentur neu, quod iniquitas
loci attulisset, id virtuti hostium tribuerent, eadem de profectione

760 cogitans, quae ante senserat, legiones ex castris eduxit aciemque
idoneo loco constituit. (2) cum Vercingetorix nihilo minus <intra
munitiones remaneret neque> in aequum locum descenderet, levi facto
equestri proelio, atque eo secundo, in castra exercitum reduxit. (3) cum
hoc idem postero die fecisset, satis ad Gallicam ostentationem

765 minuendam militumque animos confirmandos factum existimans in
Haeduos movit castra. (4) ne tum quidem insecutus hostibus tertio die
ad flumen Elaver pontes reficit eoque exercitum traducit.

(LIV. 1) Ibi a Viridomaro atque Eposedorige Haeduis appellatus
discit cum omni equitatu Litavicum ad sollicitandos Haeduos
770 profectum; opus esse ipsos antecedere ad confirmandam civitatem.
(2) etsi multis iam rebus Haeduorum perfidiam Caesar perspectam
habebat atque horum discessu admaturari defectionem civitatis
existimabat, tamen eos retinendos non censuit, ne aut inferre iniuriam
videretur aut daret aliquam timoris suspicionem. (3) discedentibus his
775 breviter sua in Haeduos merita exposuit, quos et quam humiles
accepisset, compulsos in oppida, multatos agris, omnibus ereptis sociis,
imposito stipendio, obsidibus summa cum contumelia extortis, (4) et
quam in fortunam quamque in amplitudinem deduxisset, ut non solum
in pristinum statum redissent, sed omnium temporum dignitatem et
780 gratiam antecessisse viderentur. his datis mandatis eos ab se dimisit.

(LV. 1) Noviodunum erat oppidum Haeduorum ad ripas Ligeris
opportuno loco positum. (2) huc Caesar omnes obsides Galliae,
frumentum, pecuniam publicam, suorum atque exercitus impedimentorum
magnam partem contulerat; (3) huc magnum numerum equorum huius
785 belli causa in Italia atque Hispania coemptum miserat. (4) eo cum
Eposedorix Viridomarusque venissent et de statu civitatis cognovissent,
Litavicum Bibracte ab Haeduis receptum – quod est oppidum apud eos
maximae auctoritatis – Convictolitavem magistratum magnamque partem
senatus ad eum convenisse, legatos ad Vercingetorigem de pace et de
790 amicitia concilianda publice missos, non praetermittendum instans
tantum commodum existimaverunt. (5) itaque interfectis Novioduni
custodibus quique eo negotiandi aut itineris causa convenerant, pecuniam
atque equos inter se partiti sunt, (6) obsides civitatum Bibracte ad
magistratum deducendos curaverunt, oppidum, (7) quod ab se teneri non
795 posse iudicabant, ne cui esset usui Romanis, incenderunt, (8) frumenti
quod subito potuerunt navibus avexerunt, reliquum flumine atque
incendio corruperunt. (9) ipsi ex finitimis regionibus copias cogere,
praesidia custodiasque ad ripas Ligeris disponere equitatumque omnibus
locis iniciendi timoris causa ostentare coeperunt, si ab re frumentaria
800 Romanos excludere †aut adductos inopia ex provincia expellere† possent.
(10) quam ad spem multum eos adiuvabat, quod Liger ex nivibus
creverat, ut omnino vado non posse transiri videretur.

(LVI. 1) Quibus rebus cognitis Caesar maturandum sibi censuit, si
esset in perficiendis pontibus periclitandum, ut prius, quam essent

805 maiores eo coactae copiae, dimicaret. (2) nam ut commutato consilio
iter in provinciam converteret, ut metu quidam necessario faciendum
existimabant, cum infamia atque indignitas rei et oppositus mons
Cebenna viarumque difficultas impediabat, tum maxime quod abiuncto
810 Labieno atque iis legionibus, quas una miserat, vehementer timebat.
(3) itaque admodum magnis diurnis nocturnisque itineribus confectis
contra omnium opinionem ad Ligerim venit (4) vadoque per equites
invento pro rei necessitate opportuno, ut bracchia modo atque umeri ad
sustinenda arma liberi ab aqua esse possent, disposito equitatu, qui vim
815 fluminis refringeret, atque hostibus primo aspectu perturbatis,
(5) incolumem exercitum traduxit frumentumque in agris et pecoris
copiam nactus repleto his rebus exercitu iter in Senones facere instituit.

(LVII. 1) Dum haec apud Caesarem geruntur, Labienus eo
supplemento, quod nuper ex Italia venerat, relicto Agedinci, ut esset
impedimentis praesidio, cum quattuor legionibus Luteciam
820 proficiscitur. id est oppidum Parisiorum, positum in insula fluminis
Sequanae. (2) cuius adventu ab hostibus cognito magnae ex finitimis
civitatibus copiae convenerunt. (3) summa imperii traditur
Camulogeno Aulerco, qui prope confectus aetate tamen propter
singularem scientiam rei militaris ad eum est honorem evocatus. (4) is
825 cum animadvertisset perpetuam esse paludem, quae influeret in
Sequanam atque illum omnem locum magnopere impediret, hic
consedit nostrosque transitu prohibere instituit.

(LVIII. 1) Labienus primo vineas agere, cratibus atque aggere
paludem explere atque iter munire conabatur. (2) postquam id difficilius
830 confici animadvertit, silentio e castris tertia vigilia egressus eodem, quo
venerat, itinere Metlosedum pervenit. (3) id est oppidum Senonum in
insula Sequanae positum, ut paulo ante de Lutecia diximus.
(4) deprehensis navibus circiter quinquaginta celeriterque coniunctis
atque eo militibus iniectis et rei novitate perterritis oppidanis, quorum
835 magna pars erat ad bellum evocata, sine contentione oppido potitur.
(5) refecto ponte, quem superioribus diebus hostes resciderant, exercitum
traducit et secundo flumine ad Luteciam iter facere coepit. (6) hostes re
cognita ab iis, qui Metlosedo fugerant, Luteciam incendi pontesque eius
oppidi rescindi iubent; ipsi profecti a palude in ripa Sequanae e regione
840 Luteciae contra Labieni castra considunt.

(LIX. 1) Iam Caesar a Gergovia discessisse audiebatur, iam de
Haeduum defectione et secundo Galliae motu rumores adferebantur,
Gallique in conloquiis interclusum itinere et Ligeri Caesarem inopia
frumenti coactum in provinciam contendisse confirmabant.

845 (2) Bellovaci autem defectione Haeduorum cognita, qui iam ante erant
per se infideles, manus cogere atque aperte bellum parare coeperunt.
(3) tum Labienus tanta rerum commutatione longe aliud sibi
capiendum consilium, atque antea senserat, (4) intellegebat neque iam,
850 ut aliquid acquireret proelioque hostes lacesseret, sed ut incolumem
exercitum Agedincum reduceret, cogitabat. (5) namque altera ex parte
Bellovaci, quae civitas in Gallia maximam habet opinionem virtutis,
instabant, alteram Camulogenus parato atque instructo exercitu
tenebat: tum legiones a praesidio atque impedimentis interclusas
maximum flumen distinebat. (6) tantis subito difficultatibus obiectis ab
855 animi virtute auxilium petendum videbat.

(LX. 1) Itaque sub vesperum consilio convocato cohortatus, ut ea,
quae imperasset, diligenter industrieque administrarent, naves, quas
Metlosedo deduxerat, singulas equitibus Romanis attribuit et prima
confecta vigilia III milia passuum secundo flumine silentio progredi
860 ibique se exspectari iubet. (2) quinque cohortes, quas minime firmas ad
dimicandum esse existimabat, castris praesidio relinquit; (3) quinque
eiusdem legionis reliquas de media nocte cum omnibus impedimentis
adverso flumine magno tumultu proficisci imperat. (4) conquirat etiam
lintres; has magno sonitu remorum incitatas in eandem partem mittit.
865 ipse post paulo silentio egressus cum tribus legionibus eum locum
petit, quo naves appelli iusserat.

(LXI. 1) Eo cum esset ventum, exploratores hostium, ut omni
fluminis parte erant dispositi, inopinantes, quod magna subito erat coorta
tempestas, a nostris opprimuntur; (2) exercitus equitatusque equitibus
870 Romanis administrantibus, quos ei negotio praefecerat, celeriter
transmittitur. (3) uno fere tempore sub lucem hostibus nuntiat in castris
Romanorum praeter consuetudinem tumultuari et magnum ire agmen
adverso flumine sonitumque remorum in eadem parte exaudiri et paulo
infra milites navibus transportari. (4) quibus rebus auditis, quod
875 existimabant tribus locis transire legiones atque omnes perturbatos
defectione Haeduorum fugam parare, suas quoque copias in tres partes
distribuerunt. (5) nam praesidio e regione castrorum relicto et parva manu
Metlosedum versus missa, quae tantum progredere, quantum naves
processissent, reliquas copias contra Labienum duxerunt.

(LXII. 1) Prima luce et nostri omnes erant transportati et hostium
acies cernebatur. (2) Labienus milites cohortatus, ut suae pristinae virtutis
et tot secundissimorum proeliorum memoriam retinerent atque ipsum
Caesarem, cuius ductu saepe numero hostes superassent, praesentem
adesse existimarent, dat signum proelii. (3) primo concursu ab dextro

885 cornu, ubi septima legio constiterat, hostes pelluntur atque in fugam
coniciuntur; (4) ab sinistro, quem locum duodecima legio tenebat, cum
primi ordines hostium transfixi pilis concidissent, tamen acerrime reliqui
resistebant nec dabat suspicionem fugae quisquam. (5) ipse dux hostium
890 Camulogenus suis aderat atque eos cohortabatur. (6) at incerto etiamnunc
exitu victoriae, cum septimae legionis tribunis esset nuntiatum, quae in
sinistro cornu gererentur, post tergum hostium legionem ostenderunt
signaque intulerunt. (7) ne eo quidem tempore quisquam loco cessit, sed
circumventi omnes interfectique sunt. eandem fortunam tulit
895 Camulogenus. (8) at ii, qui praesidio contra castra Labieni erant relictii,
cum proelium commissum audissent, subsidio suis ierunt collemque
ceperunt; neque nostrorum militum victorum impetum sustinere
potuerunt. (9) sic cum suis fugientibus permixti, quos non silvae
montesque texerunt, ab equitatu sunt interfecti. (10) hoc negotio confecto
900 Labienus revertitur Agedincum, ubi impedimenta totius exercitus relicta
erant; inde die III cum omnibus copiis ad Caesarem pervenit.

(LXIII. 1) Defectione Haeduum cognita bellum augetur. (2) legationes
in omnes partes circummittuntur; quantum gratia, auctoritate, pecunia
valent, ad sollicitandas civitates nituntur; (3) nacti obsides, quos Caesar
apud eos deposuerat, horum supplicio dubitantes territant. (4) petunt a
905 Vercingetorige Haedui, ut ad se veniat rationesque belli gerendi
communicet; re impetrata contendunt, ut ipsis summa imperii tradatur.
(5) re in controversiam deducta totius Galliae concilium Bibracte
indicitur. conveniunt undique frequentes. (6) multitudinis suffragiis res
permittitur; ad unum omnes Vercingetorigem probant imperatorem.
910 (7) ab hoc concilio Remi, Lingones, Treveri afuerunt, illi quod amicitiam
Romanorum sequebantur, Treveri quod aberant longius et a Germanis
premebantur, quae fuit causa quare toto abessent bello et neutris auxilia
mitterent. (8) magno dolore Haedui ferunt se deiectionis principatu,
queruntur fortunae commutationem et Caesaris in se indulgentiam
915 requirunt neque tamen suscepto bello suum consilium ab reliquis separare
audent. (9) inviti summae spei adulescentes Eporedorix et Viridomarus
Vercingetorigi parent.

(LXIV. 1) Ille imperat ¶reliquis civitatibus obsides; denique ei rei
constituit diem; huc† omnes equites, XV milia numero, celeriter
920 convenire iubet. (2) peditatu quem antea habuerit se fore contentum dicit
neque fortunam temptatum aut acie dimicaturum, sed quoniam abundet
equitatu, perfacile esse factu frumentationibus pabulationibusque
Romanos prohibere; (3) aequo modo animo sua ipsi frumenta corrumpant
aedificiaque incendiant, qua rei familiaris iactura perpetuum imperium

925 libertatemque se consequi videant. (4) his constitutis rebus Haeduis
Segusiavisque, qui sunt finitimi provinciae, decem milia peditum
imperat; huc addit equites octingentos. (5) his praeficit fratrem
Eporedorigis bellumque inferre Allobrogibus iubet. (6) altera ex parte
930 Gabalos proximosque pagos Arvernorum in Helvios, item Rutenos
Cadurcosque ad fines Volcarum Arecomicorum depopulandos mittit.
(7) nihilo minus clandestinis nuntiis legationibusque Allobroges sollicitat,
quorum mentes nondum a superiore bello resedissee sperabat. (8) horum
principibus pecunias, civitati autem imperium totius provinciae pollicetur.

(LXV. 1) Ad hos omnes casus provisa erant praesidia cohortium
935 duarum et viginti, quae ex ipsa coacta provincia ab L. Caesare legato ad
omnes partes opponebantur. (2) Helvii sua sponte cum finitimis proelio
congressi pelluntur et C. Valerio Domnotaurō, Caburi filio, principe
civitatis, compluribusque aliis interfectis intra oppida murosque
940 compelluntur. (3) Allobroges crebris ad Rhodanum dispositis praesidiis
magna cum cura et diligentia suos fines tuentur. (4) Caesar quod hostes
equitatu superiores esse intellegebat et interclusis omnibus itineribus
nulla re ex provincia atque Italia sublevari poterat, trans Rhenum in
Germaniam mittit ad eas civitates, quas superioribus annis pacaverat,
equitesque ab his arcessit et levis armaturae pedites qui inter eos proeliari
945 consuerant. (5) eorum adventu, quod minus idoneis equis utebantur, a
tribunis militum reliquisque equitibus Romanis atque evocatis equos
sumit Germanisque distribuit.

(LXVI. 1) Interea dum haec geruntur, hostium copiae ex Arvernīs
equitesque qui toti Galliae erant imperati conveniunt. (2) magno horum
950 coacto numero, cum Caesar in Sequanos per extremos Lingonum fines
iter faceret, quo facilius subsidium provinciae ferre posset, circiter milia
passuum X ab Romanis trinis castris Vercingetorix consedit
(3) convocatisque ad concilium praefectis equitum venisse tempus
victoriae demonstrat; fugere in provinciam Romanos Galliaque excedere.
955 (4) id sibi ad praesentem obtinendam libertatem satis esse; ad reliqui
temporis pacem atque otium parum profici; maioribus enim coactis copiis
reversuros neque finem bellandi facturos. proinde agmine impeditos
adoriantur. (5) si pedites suis auxilium ferant atque in eo morentur, iter
confici non posse; si – id quod magis futurum confidat – relictis
960 impedimentis suae salutis consulant, et usu rerum necessariorum et
dignitate spoliatum iri. (6) nam de equitibus hostium, quin nemo eorum
progredi modo extra agmen audeat, ne ipsos quidem debere dubitare. id
quo maiore faciant animo, copias se omnes pro castris habiturum et
terrori hostibus futurum. (7) conclamant equites sanctissimo iure iurando

965 confirmari oportere, ne tecto recipiatur, ne ad liberos, ad parentes, ad uxorem aditum habeat, qui non bis per agmen hostium perequitarit.

(LXVII. 1) Probata re atque omnibus iure iurando adactis postero die in tres partes distributo equitatu duae se acies ab duobus lateribus ostendunt, una a primo agmine iter impedire coepit. (2) qua re nuntiata
970 Caesar suum quoque equitatum tripertito divisum contra hostem ire iubet. pugnatur una omnibus in partibus. (3) consistit agmen; impedimenta intra legiones recipiuntur. (4) si qua in parte nostri laborare aut gravius premi videbantur, eo signa inferri Caesar aciemque converti iubebat; quae res et hostes ad insequendum tardabat
975 et nostros spe auxilii confirmabat. (5) tandem Germani ab dextro latere summum iugum nacti hostes loco depellunt, fugientes usque ad flumen, ubi Vercingetorix cum pedestribus copiis consederat, persequuntur compluresque interficiunt. (6) qua re animadversa reliqui ne circumvenirentur veriti se fugae mandant. omnibus locis fit caedes.
980 (7) tres nobilissimi Haedui capti ad Caesarem perducuntur: Cotus praefectus equitum qui controversiam cum Convictolitavi proximis comitiis habuerat, et Cavarillus, qui post defectionem Litavici pedestribus copiis praefuerat, et Eporedorix, quo duce ante adventum Caesaris Haedui cum Sequanis bello contenderant.

985 (LXVIII. 1) Fugato omni equitatu Vercingetorix copias suas, ut pro castris conlocaverat, reduxit protinusque Alesiam, quod est oppidum Mandubiorum, iter facere coepit celeriterque impedimenta ex castris educi et se subsequi iussit. (2) Caesar impedimentis in proximum collem deductis, duabus legionibus praesidio relictis secutus, quantum diei tempus
990 est passum, circiter tribus milibus hostium ex novissimo agmine interfectis altero die ad Alesiam castra fecit. (3) perspecto urbis situ perterritisque hostibus, quod equitatu, qua maxime parte exercitus confidebant, erant pulsi, adhortatus ad laborem milites circumvallare instituit.

(LXIX. 1) Ipsum erat oppidum Alesia in colle summo admodum
995 edito loco, ut nisi obsidione expugnari non posse videretur. (2) cuius collis radices duo duabus ex partibus flumina subleebant. (3) ante oppidum planities circiter milia passuum III in longitudinem patebat; (4) reliquis ex omnibus partibus colles mediocri interiecto spatio pari altitudinis fastigio oppidum cingebant. (5) sub muro quae pars collis ad
1000 orientem solem spectabat, hunc omnem locum copiae Gallorum compleverant fossamque et maceriam sex in altitudinem pedum praeduxerant. (6) eius munitionis quae ab Romanis instituebatur circuitus X milia passuum tenebat. (7) castra opportunis locis erant posita itemque castella XXIII facta, quibus in castellis interdum

1005 stationes ponebantur, ne qua subito eruptio fieret; haec eadem noctu
excubitoribus ac firmis praesidiis tenebantur.

(LXX. 1) Opere instituto fit equestre proelium in ea planitie, quam
intermissam collibus tria milia passuum in longitudinem patere supra
1010 demonstravimus. summa vi ab utrisque contenditur. (2) laborantibus
nostris Caesar Germanos submittit legionesque pro castris constituit, ne
qua subito inruptio ab hostium peditatu fiat. (3) praesidio legionum addito
nostris animus augetur; hostes in fugam coniecti se ipsi multitudine
1015 impediunt atque angustioribus portis relictis coartantur. (4) Germani acrius
usque ad munitiones sequuntur. (5) fit magna caedes. nonnulli relictis equis
fossam transire et maceriam transcendere conantur. paulum legiones
Caesar quas pro vallo constituerat promoveri iubet. (6) non minus qui intra
munitiones erant perturbantur. Galli veniri ad se confestim existimantes ad
1020 arma conclamant; nonnulli perterriti in oppidum inrumpunt.
(7) Vercingetorix iubet portas claudi, ne castra nudentur. multis interfectis,
compluribus equis captis Germani sese recipiunt.

(LXXI. 1) Vercingetorix priusquam munitiones ab Romanis
perficiantur, consilium capit omnem ab se equitatum noctu dimittere.
(2) discedentibus mandat ut suam quisque eorum civitatem adeat
omnesque qui per aetatem arma ferre possint ad bellum cogant. (3) sua
1025 in illos merita proponit obtestaturque ut suae salutis rationem habeant
neu se optime de communi libertate meritum hostibus in cruciatum
dedant. quod si indiligentiores fuerint, milia hominum delecta
octoginta una secum interitura demonstrat. (4) ratione inita frumentum
se exigue dierum XXX habere, sed paulo etiam longius tolerari posse
1030 parcendo. (5) his datis mandatis, qua erat nostrum opus intermissum,
secunda vigilia silentio equitatum dimittit. (6) frumentum omne ad se
referri iubet, capitis poenam iis qui non paruerint constituit; (7) pecus,
cuius magna erat copia a Mandubiis compulsa, viritim distribuit,
frumentum parce et paulatim metiri instituit. (8) copias omnes quas pro
1035 oppido collocaverat in oppidum recepit. (9) his rationibus auxilia
Galliae exspectare et bellum administrare parat.

(LXXII. 1) Quibus rebus ex perfugis et captivis cognitis Caesar haec
genera munitionis instituit. fossam pedum XX directis lateribus duxit,
ut eius solum tantundem pateret, quantum summa fossae labra distabant.
1040 (2) reliquas omnes munitiones ab ea fossa pedibus CCCC reduxit. id hoc
consilio, quoniam tantum spatium necessario esset complexus nec facile
totum opus corona militum cingeretur, ne de improvise aut noctu ad
munitiones multitudo hostium advolaret aut interdiu tela in nostros operi
destinatos conicere posset. (3) hoc intermisso spatio duas fossas XV

1045 pedes latas eadem altitudine perduxit; quarum interiorem campestribus
ac demissis locis aqua ex flumine derivata complevit. (4) post eas
aggerem ac vallum XII pedum extruxit. huic lorica pinnasque adiecit
grandibus cervis eminentibus ad commissuras pluteorum atque aggeris,
qui ascensum hostium tardarent, et turres toto opere circumdedit, quae
1050 pedes LXXX inter se distarent.

(LXXIII. 1) Erat eodem tempore et materiari et frumentari et tantas
munitiones fieri necesse deminutis nostris copiis, quae longius a castris
progrediebantur. ac nonnumquam opera nostra Galli temptare atque
eruptionem ex oppido pluribus portis summa vi facere conabantur.
1055 (2) quare ad haec rursus opera addendum Caesar putavit, quo minore
numero militum munitiones defendi possent. itaque truncis arborum aut
admodum firmis ramis abscisis atque horum delibratis ac praeacutis
cacuminibus perpetuae fossae quinos pedes altae ducebantur. (3) huc illi
stipites demissi et ab infimo revincti, ne revelli possent, ab ramis
1060 eminebant. (4) quini erant ordines coniuncti inter se atque implicati; quo
qui intraverant se ipsi acutissimis vallis induebant. (5) hos cippos
appellabant. ante hos obliquis ordinibus in quincuncem dispositis
scrobes tres in altitudinem pedes fodiebantur paulatim angustiore ad
infimum fastigio. (6) huc teretes stipites feminis crassitudine ab summo
1065 praeacuti et praeusti demittebantur, ita ut non amplius digitis quattuor e
terra eminent; (7) simul confirmandi et stabiliendi causa singuli ab
infimo solo pedes terra exculcabantur; reliqua pars scrobris ad
occultandas insidias viminibus ac virgultis integebatur. (8) huius generis
octoni ordines ducti ternos inter se pedes distabant. (9) id ex similitudine
1070 floris liliam appellabant. ante haec taleae pedem longae ferreis hamis
infixis totae in terram infodiebantur mediocribusque intermissis spatiis
omnibus locis disserebantur, quos stimulos nominabant.

(LXXIV. 1) His rebus perfectis regiones secutus quam potuit
aequissimas pro loci natura XIII milia passuum complexus pares
1075 eiusdem generis munitiones, diversas ab his, contra exteriorem hostem
perfecit, ut ne magna quidem multitudine, si ita accidat equitatus
discessu, munitionum praesidia circumfundi possent; (2) <ne> autem
cum periculo ex castris egredi cogatur, dierum XXX pabulum
frumentumque habere omnes convectum iubet.

1080 (LXXV. 1) Dum haec ad Alesiam geruntur, Galli concilio principum
indicto non omnes qui arma ferre possent – ut censuit Vercingetorix –
convocandos statuunt, sed certum numerum cuique civitati imperandum,
ne tanta multitudine confusa nec moderari nec discernere suos nec
frumenti rationem habere possent. (2) imperant Haeduis atque eorum

1085 clientibus, Segusiavis, Ambivaretis, Aulercis, Brannovicibus [, Blannoviis]
milia XXXV; parem numerum Arvernus adiunctis Eleutetis, Cadurcis,
Gabalis, Vellaviis, qui sub imperio Arvernorum esse consuerunt;
(3) Sequanis, Senonibus, Biturigibus, Santonis, Rutenis, Carnutibus
1090 duodena milia; Bellovacis decem; totidem Lemovicibus; octona
Pictonibus et Turonis et Parisiis et Helvetiis; sen<a Suessi>onibus,
Ambianis, Mediomatricis, Petrocoriis, Nerviiis, Morinis, Nitiobrogibus;
quina milia Aulercis, Cenomanis; totidem Atrebatibus; IIII Veliocassis,
Lexoviis et Aulercis; Eburovicibus terna; Rauracis et Bois bina;
1095 (4) X milia universis civitatibus, quae Oceanum attingunt quaeque
eorum consuetudine Aremoricae appellantur, quo sunt in numero
Coriosolites, Redones, Ambibarii, Caletes, Osismi, Veneti,
†Lemovices†, Unelli. (5) ex his Bellovaci suum numerum non
contulerunt, quod se suo nomine atque arbitrio cum Romanis bellum
gesturos dicebant neque cuiusquam imperio obtemperaturos; rogati
1100 tamen a Commio pro eius hospitio duo milia una miserunt.

(LXXVI. 1) Huius opera Commii, ut antea demonstravimus, fideli
atque utili superioribus annis erat usus in Britannia Caesar; quibus ille pro
meritis civitatem eius immunem esse iusserat, iura legesque reddiderat
atque ipsi Morinos attribuerat. (2) tanta tamen universae Galliae
1105 consensio fuit libertatis vindicandae et pristinae belli laudis recuperandae,
ut neque beneficiis neque amicitiae memoria moverentur omnesque et
animo et opibus in id bellum incumberent. (3) coactis equitum milibus
VIII et peditum circiter CCL haec in Haeduum finibus recensebantur,
numerusque inibatur, praefecti constituebantur. (4) Commio Atrebatum,
1110 Viridomaro et Eporedorigi Haeduis, Vercassivellauno Arverno consobri
Vercingetorigis summa imperii traditur. his delecti ex civitatibus
attribuuntur, quorum consilio bellum administraretur. (5) omnes alacres et
fiduciae pleni ad Alesiam proficiscuntur, (6) neque erat omnium
quisquam qui adspectum modo tantae multitudinis sustineri posse
1115 arbitraretur, praesertim ancipiti proelio, cum ex oppido eruptione
pugnaretur, foris tantae copiae equitatus peditatusque cernerentur.

(LXXVII. 1) At ii qui Alesiae obsidebantur praeterita die qua auxilia
suorum exspectaverant, consumpto omni frumento, inscii quid in Haeduis
gereretur, concilio coacto de exitu suarum fortunarum consultabant (2) ac
1120 variis dictis sententiis quarum pars deditionem, pars dum vires
suppetent eruptionem censebat, non praetereunda videtur oratio
Critognati propter eius singularem ac nefariam crudelitatem. (3) hic
summo in Arvernus ortus loco et magnae habitus auctoritatis «nihil, –
inquit, – de eorum sententia dicturus sum, qui turpissimam servitutem

1125 deditionis nomine appellant, neque hos habendos civium loco neque ad
 concilium adhibendos censeo. (4) cum his mihi res sit, qui eruptionem
 probant. quorum in consilio omnium vestrum consensu pristinae residere
 virtutis memoria videtur, animi est ista mollitia, (5) non virtus, paulisper
 1130 inopiam ferre non posse. qui se ultro morti offerant facilius reperiuntur
 quam qui dolorem patienter ferant. (6) atque ego hanc sententiam
 probarem – tantum apud me dignitas potest – si nullam praeterquam vitae
 nostrae iacturam fieri viderem; (7) sed in consilio capiendo omnem
 Galliam respiciamus, quam ad nostrum auxilium concitavimus: (8) quid
 1135 hominum milibus LXXX uno loco interfectis propinquis
 consanguineisque nostris animi fore existimatis, si paene in ipsis
 cadaveribus proelio decertare cogentur? (9) nolite hos vestro auxilio
 exspoliare qui vestrae salutis causa suum periculum neglexerunt, nec
 stultitia ac temeritate vestra aut animi imbecillitate omnem Galliam
 prosternere et perpetuae servituti addicere. (10) an quod ad diem non
 1140 venerunt, de eorum fide constantiaque dubitatis? quid ergo? Romanos in
 illis ulterioribus munitionibus animine causa cotidie exerceri putatis?
 (11) si illorum nuntiis confirmari non potestis omni aditu praesaepo, his
 utimini testibus adpropinquare eorum adventum, cuius rei timore exterriti
 diem noctemque in opere versantur. (12) quid ergo mei consilii est?
 1145 facere quod nostri maiores nequaquam pari bello Cimbrorum
 Teutonumque fecerunt: qui in oppida compulsi ac simili inopia subacti
 eorum corporibus, qui aetate ad bellum inutiles videbantur, vitam
 toleraverunt neque se hostibus tradiderunt. (13) cuius rei si exemplum
 non haberemus, tamen libertatis causa institui et posteris prodi
 1150 pulcherrimum iudicarem. (14) nam quid illi simile bello fuit? depopulata
 Gallia Cimbri magnaue inlata calamitate finibus quidem nostris
 aliquando excesserunt atque alias terras petierunt; iura, leges, agros,
 libertatem nobis reliquerunt. (15) Romani vero quid petunt aliud aut quid
 volunt nisi invidia adducti quos fama nobiles potentesque bello
 1155 cognoverunt, horum in agris civitatibusque considerare atque his aeternam
 iniungere servitutum? neque enim umquam alia condicione bella
 gesserunt. (16) quodsi ea quae in longinquis nationibus geruntur
 ignoratis, respicite finitimam Galliam, quae in provinciam redacta, iure et
 legibus commutatis, securibus subiecta perpetua premitur servitute».

1160 (LXXVIII. 1) Sententiis dictis constituunt ut ii, qui valetudine aut
 aetate inutiles sint bello, oppido excedant atque omnia prius
 experiantur quam ad Critognati sententiam descendant; (2) illo tamen
 potius utendum consilio, si res cogat atque auxilia morentur quam aut
 deditionis aut pacis subeundam condicionem. (3) Mandubii qui eos

1165 oppido receperant, cum liberis atque uxoribus exire coguntur. (4) hi cum ad munitiones Romanorum accessissent, flentes omnibus precibus orabant ut se in servitutum receptos cibo iuarent. (5) at Caesar ad dispositis in vallo custodiis recipi prohibebat.

(LXXIX. 1) Interea Commius reliquique duces, quibus summa imperii permissa erat, cum omnibus copiis ad Alesiam perveniunt et colle exteriori occupato non longius mille passibus a nostris munitionibus considunt. (2) postero die equitatu ex castris educto omnem eam planitiem quam in longitudinem milia passuum III patere demonstravimus, complent pedestresque copias paulum ab eo loco abditas in locis superioribus constituunt. (3) erat ex oppido Alesia despectus in campum. concurritur his auxiliis visis; fit gratulatio inter eos atque omnium animi ad laetitiam excitantur. (4) itaque productis copiis ante oppidum considunt et proximam fossam cratibus integunt atque aggere explent seque ad eruptionem atque omnes casus comparant.

1180 (LXXX. 1) Caesar omni exercitu ad utramque partem munitionis disposito, ut, si usus veniat, suum quisque locum teneat et noverit, equitatum ex castris educi et proelium committi iubet. (2) erat ex omnibus castris, quae summum undique iugum tenebant, despectus atque omnes milites intentis animis proventum pugnae exspectabant. (3) Galli inter equites raros sagittarios expeditosque levis armaturae interiecerant, qui suis cedentibus auxilio succurrerent et nostrorum equitum impetus sustinerent. ab his complures de improvise vulnerati proelio excedebant. (4) cum suos pugna superiores esse Galli confiderent et nostros multitudinem premi viderent, ex omnibus partibus et ii qui munitionibus continebantur et ii qui ad auxilium convenerant clamore et ululatu suorum animos confirmabant. (5) quod in conspectu omnium res gerebatur neque recte aut turpiter factum celari poterat, utrosque et laudis cupiditas et timor ignominiae ad virtutem excitabat. (6) cum a meridie prope ad solis occasum dubia victoria pugnaretur, Germani una in parte confertis turmis in hostes impetum fecerunt eosque propulerunt; 1195 (7) quibus in fugam coniectis sagittarii circumventi interfectique sunt. (8) item ex reliquis partibus nostri cedentes usque ad castra insecuti sui colligendi facultatem non dederunt. (9) at ii qui ab Alesia processerant, maesti prope victoria desperata se in oppidum receperunt.

1200 (LXXXI. 1) Uno die intermisso Galli atque hoc spatio magno cratium scalarum harpagonum numero effecto media nocte silentio ex castris egressi ad campestris munitiones accedunt. (2) subito clamore sublato, qua significatione qui in oppido obsidebantur de suo adventu cognoscere possent, crates proicere, fundis sagittis lapidibus nostros de

1205 vallo proturbare reliquaque quae ad oppugnationem pertinent parant
administrare. (3) eodem tempore clamore exaudito dat tuba signum
suis Vercingetorix atque ex oppido educit. (4) nostri, ut superioribus
diebus suis cuique erat locus attributus, ad munitiones accedunt;
1210 fundis librilibus sudibusque, quas in opere disposuerant, ac glandibus
Gallos proterunt. (5) prospectu tenebris adempto multa utrimque
vulnera accipiuntur. complura tormentis tela coniciuntur. (6) at
M. Antonius et C. Trebonius legati, quibus hae partes ad defendendum
obvenerant, qua ex parte nostros premi intellexerant, his auxilio ex
ulterioribus castellis deductos submittebant.

1215 (LXXXII. 1) Dum longius a munitione aberant Galli, plus
multitudine telorum proficiebant; posteaquam propius successerunt,
aut se ipsi stimulis inopinantes induebant aut in scrobes delati
transfodiebantur aut ex vallo ac turribus traieci pilis muralibus
interibant, (2) multis undique vulneribus acceptis nulla munitione
1220 perrupta, cum lux appeteret, veriti ne ab latere aperto ex superioribus
castris eruptione circumvenirentur, se ad suos receperunt. (3) at
interiores dum ea quae [a Vercingetorige] ad eruptionem
praeparaverant proferunt, priores fossam explent, (4) diutius in his
rebus administrandis morati prius suos discessisse cognoverunt quam
1225 munitionibus adpropinquarent. ita re infecta in oppidum reverterunt.

(LXXXIII. 1) Bis magno cum detrimento repulsi Galli quid agant
consulunt; locorum peritos adhibent; ex his superiorum castrorum situs
munitionesque cognoscunt. (2) erat a septentrionibus collis, quem propter
magnitudinem circuitus opere circumplecti non potuerant nostri,
1230 necessarioque paene iniquo loco et leviter declivi castra fecerant. (3) haec
C. Antistius Reginus et C. Caninius Rebilus legati cum duabus legionibus
obtinebant. (4) cognitis per exploratores regionibus duces hostium LX
milia ex omni numero deligunt earum civitatum quae maximam virtutis
opinionem habebant; (5) quid quoque pacto agi placeat, occulte inter se
1235 constituunt; adeundi tempus definiunt, cum meridie esse videatur. (6) his
copiis Vercassivellaunum Arvernum, unum ex quattuor ducibus,
propinquum Vercingetorigis, praeficiunt. (7) ille ex castris prima vigilia
egressus prope confecto sub lucem itinere post montem se occultavit
militesque ex nocturno labore sese reficere iussit. (8) cum iam meridies
1240 adpropinquare videretur, ad ea castra, quae supra demonstravimus,
contendit; eodemque tempore equitatus ad campestris munitiones
accedere et reliquae copiae pro castris sese ostendere coeperunt.

(LXXXIV. 1) Vercingetorix ex arce Alesiae suos conspicatus ex
oppido egreditur; a castris longurios, musculos, falces reliquaque quae

1245 eruptionis causa paraverat profert. (2) pugnatur uno tempore omnibus
locis atque omnia temptantur; quae minime visa pars firma est, huc
concurritur. (3) Romanorum manus tantis munitionibus distinetur nec
facile pluribus locis occurrit. (4) multum ad terrendos nostros valet
1250 clamor qui post tergum pugnantibus exstitit, quod suum periculum in
aliena vident virtute constare; (5) omnia enim plerumque, quae absunt,
vehementius hominum mentes perturbant.

(LXXXV. 1) Caesar idoneum locum nactus quid quaque in parte
geratur cognoscit; laborantibus submittit. (2) utrisque ad animum occurrit
unum esse illud tempus, quo maxime contendere conveniat: (3) Galli nisi
1255 perfregerint munitiones, de omni salute desperant; Romani si rem
obtinuerint, finem laborum omnium expectant. (4) maxime ad superiores
munitiones laboratur, quo Vercassivellaunum missum demonstravimus.
iniquum loci ad declivitatem fastigium magnum habet momentum.
(5) alii tela coniciunt, alii testudine facta subeunt; defatigatis invicem
1260 integri succedunt. (6) agger ab universis in munitionem coniectus et
ascensum dat Gallis et ea, quae in terra occultaverant Romani, contegit;
nec iam arma nostris nec vires suppetunt.

(LXXXVI. 1) His rebus cognitis Caesar Labienum cum cohortibus
sex subsidio laborantibus mittit; (2) imperat, si sustinere non possit,
1265 deductis cohortibus eruptione pugnet; id nisi necessario ne faciat. (3) ipse
adit reliquos, cohortatur ne labori succumbant; omnium superiorum
dimicationum fructum in eo die atque hora docet consistere. (4) interiores
desperatis campestribus locis propter magnitudinem munitionum loca
praeupta ex ascensu temptant; huc ea quae paraverant conferunt.
1270 multitudine telorum ex turribus propugnantes deturbant, aggere et
cratibus fossas explent, falcibus vallum ac loricam rescindunt.

(LXXXVII. 1) Mittit primum Brutum adolescentem cum
cohortibus Caesar, post cum aliis C. Fabium legatum; postremo ipse,
cum vehementius pugnaretur, integros subsidio adducit. (2) restituto
1275 proelio ac repulsis hostibus eo quo Labienum miserat contendit;
cohortes IIII ex proximo castello deducit, equitum partem se sequi,
partem circumire exteriores munitiones et a tergo hostes adoriri iubet.
(3) Labienus postquam neque aggeres neque fossae vim hostium
sustinere poterant, coactis undecim cohortibus, quas ex proximis
1280 praesidiis deductas fors obtulit, Caesarem per nuntios facit certiorum,
quid faciendum existimet. accelerat Caesar, ut proelio intersit.

(LXXXVIII. 1) Eius adventu ex colore vestitus cognito, quo insigni in
proeliis uti consuevit, turmisque equitum et cohortibus visis quas se sequi
iusserat, ut de locis superioribus haec declivia et devexa cernebantur,

1285 hostes proelium committunt. (2) utrimque clamore sublato excipit rursus
ex vallo atque omnibus munitionibus clamor. nostri omissis pilis gladiis
rem gerunt. (3) repente post tergum equitatus cernitur; cohortes aliae
adpropinquant. hostes terga vertunt; fugientibus equites occurrunt. fit
1290 magna caedes. (4) Sedullus dux et princeps Lemovicum occiditur;
Vercassivellaunus Arvernus vivus in fuga comprehenditur; signa militaria
LXXIII ad Caesarem referuntur; pauci ex tanto numero incolumes se in
castra recipiunt. (5) conspicati ex oppido caedem et fugam suorum
desperata salute copias a munitionibus reducunt. (6) fit protinus hac re
1295 audita ex castris Gallorum fuga. quod nisi crebris subsidiis ac totius diei
labore milites essent defessi, omnes hostium copiae deleri potuissent.
(7) de media nocte missus equitatus novissimum agmen consequitur;
magnus numerus capitur atque interficitur, reliqui ex fuga in civitates
discedunt.

(LXXXIX. 1) Postero die Vercingetorix concilio convocato id
1300 bellum suscepisse se non suarum necessitatum, (2) sed communis
libertatis causa demonstrat, et quoniam sit Fortunae cedendum, ad
utramque rem se illis offerre, seu morte sua Romanis satisfacere seu
vivum tradere velint. (3) mittuntur de his rebus ad Caesarem legati.
iubet arma tradi, principes produci. (4) ipse in munitione pro castris
1305 consedit; eo duces producuntur. Vercingetorix deditur, arma
proiciuntur. (5) reservatis Haeduis atque Arvernibus, si per eos civitates
recuperare posset, ex reliquis captivis toti exercitui capita singula
praedae nomine distribuit.

(XC. 1) His rebus confectis in Haeduos proficiscitur; civitatem recipit.
1310 (2) eo legati ab Arvernibus missi: quae imperaret, se facturos pollicentur.
imperat magnum numerum obsidum. (3) legiones in hiberna mittit.
captivorum circiter XX milia Haeduis Arvernibusque reddit.
(4) T. Labienum cum duabus legionibus et equitatu in Sequanos proficisci
iubet; huic M. Sempronium Rutilum attribuit. (5) C. Fabium legatum et
1315 L. Minucium Basilum cum legionibus duabus in Remis conlocat, ne
quam a finitimis Bellovacis calamitatem accipiant. (6) C. Antistium
Reginum in Ambivaretos, T. Sextium in Bituriges, C. Caninium Rebilum
in Rutenos cum singulis legionibus mittit. (7) Q. Tullium Ciceronem et
1320 P. Sulpicium Cavillonem et Matisconem in Haeduis ad Ararim rei
frumentariae causa conlocat. ipse Bibracte hiemare constituit. (8) huius
anni rebus cognitae Romae dierum viginti supplicatio redditur.

TITUS LUCRETIUS CARUS

Тит Лукреций Кар (ок. 99–55 гг. до н. э.) – римский поэт и философ-эпикурец. Свои философские взгляды изложил в единственной дошедшей до нашего времени поэме «О природе вещей». Согласно Лукрецию, в своем произведении он пытался объяснить мир с помощью эпикурейских терминов, избавить людей от суеверия, страха смерти и веры в богов.

DE RERUM NATURA*

LIBER QUINTUS

110 <...> Qua prius adgrediar quam de re fundere fata
 sanctius et multo certa ratione magis quam
 Pythia quae tripode a Phoebi lauroque profatur,
 multa tibi expediam doctis solacia dictis;
 religione refrenatus ne forte rearis
115 terras et solem et caelum, mare sidera lunam,
 corpore divino debere aeterna manere,
 proptereaque putes ritu par esse Gigantum
 pendere eos poenas inmani pro scelere omnis,
 qui ratione sua disturbent moenia mundi
120 praeclarumque velint caeli restinguere solem
 immortalia mortali sermone notantes;
 quae procul usque adeo divino a numine distent
 inque deum numero quae sint indigna videri,
 notitiam potius praebere ut posse putentur
125 quid sit vitali motu sensuque remotum.
 quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
 posse animi natura putetur consiliumque.
 sicut in aethere non arbor, non aequore salso
 nubes esse queunt neque pisces vivere in arvis

* Фрагменты поэмы «О природе вещей» приводятся по изданию: T. Lucretius Carus. De rerum natura libri sex / ed. J. Martin. Leipzig, 1969.

130 nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse,
certum ac dispositumst ubi quicquid crescat et insit,
sic animi natura nequit sine corpore oriri
sola neque a nervis et sanguine longius esse.
quod si posset enim, multo prius ipsa animi vis
135 in capite aut umeris aut imis calcibus esse
posset et innasci quavis in parte soleret,
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere.
quod quoniam nostro quoque constat corpore certum
dispositumque videtur ubi esse et crescere possit
140 seorsum anima atque animus, tanto magis infitiandum
totum posse extra corpus formamque animalem
putribus in glebis terrarum aut solis in igni
aut in aqua durare aut altis aetheris oris.
haud igitur constant divino praedita sensu,
145 quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.
 Illud item non est ut possis credere, sedes
esse deum sanctas in mundi partibus ullis.
tenvis enim natura deum longeque remota
sensibus ab nostris animi vix mente videtur;
150 quae quoniam manuum tactum suffugit et ictum,
tactile nil nobis quod sit contingere debet;
tangere enim non quit quod tangi non licet ipsum.
quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
dissimiles debent, tenues de corpore eorum;
155 quae tibi posterius largo sermone probabo.
 Dicere porro hominum causa voluisse parere
praeclaram mundi naturam proptereaque
adlaudabile opus divom laudare decere
aeternumque putare atque immortale futurum,
160 nec fas esse, deum quod sit ratione vetusta
gentibus humanis fundatum perpetuo aevo,
sollicitare suis ulla vi ex sedibus umquam
nec verbis vexare et ab imo evertere summa,
cetera de genere hoc adfingere et addere, Memmi,
165 desiperest. quid enim immortalibus atque beatis
gratia nostra queat largirier emolumentum,
ut nostra quicquam causa gerere adgrediantur?
quidve novi potuit tanto post ante quietos
inlicere ut cuperent vitam mutare priorem?

170 nam gaudere novis rebus debere videtur
 cui veteres obsunt; sed cui nihil accidit aegri
 tempore in ante acto, cum pulchre degeret aevom,
 quid potuit novitatis amorem accendere tali?
 quidve mali fuerat nobis non esse creatis?
 175 an, credo, in tenebris vita ac maerore iacebat,
 donec diluxit rerum genitalis origo?
 natus enim debet qui cumque est velle manere
 in vita, donec retinebit blanda voluptas;
 qui numquam vero vitae gustavit amorem
 180 nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?
 exemplum porro gignundis rebus et ipsa
 notities hominum divis unde insita primum est,
 quid vellent facere ut scirent animoque viderent,
 quove modost umquam vis cognita principiorum
 185 quidque inter sese permutato ordine possent.
 si non ipsa dedit speciem natura creandi?
 namque ita multa modis multis primordia rerum
 ex infinito iam tempore percita plagis
 ponderibusque suis consuerunt concita ferri
 190 omnimodisque coire atque omnia pertemptare,
 quae cumque inter se possint congressa creare,
 ut non sit mirum, si in talis disposituras
 deciderunt quoque et in talis venere meatus,
 qualibus haec rerum geritur nunc summa novando.
 195 Quod <si> iam rerum ignorem primordia quae sint,
 hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
 confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
 nequaquam nobis divinitus esse paratam
 naturam rerum: tanta stat praedita culpa.
 200 principio quantum caeli tegit impetus ingens,
 inde avidam partem montes silvaeque ferarum
 possedere, tenent rupes vastaeque paludes
 et mare, quod late terrarum distinet oras.
 inde duas porro prope partis fervidus ardor
 205 adsiduusque geli casus mortalibus aufert.
 quod super est arvi, tamen id natura sua vi
 sentibus obducat, ni vis humana resistat
 vitai causa valido consueta bidenti
 ingemere et terram pressis proscindere aratris.

210 si non fecundas vertentes vomere glebas
terraique solum subigentes cimus ad ortus.
sponte sua nequeant liquidas existere in auras.
et tamen inter dum magno quaesita labore
cum iam per terras frondent atque omnia florent,
215 aut nimiis torret fervoribus aetherius sol
aut subiti peremunt imbris gelidaeque pruinae
flabraque ventorum violento turbine vexant.
praeterea genus horriferum natura ferarum
humanae genti infestum terraque marique
220 cur alit atque auget? cur anni tempora morbos
adportant? quare mors inmatura vagatur?
tum porro puer, ut saevis proiectus ab undis
navita, nudus humi iacet infans indigus omni
vitali auxilio, cum primum in luminis oras
225 nixibus ex alvo matris natura profudit,
vagituque locum lugubri complet, ut aequumst
cui tantum in vita restet transire malorum.
at variae crescunt pecudes armenta feraeque
nec crepitacillis opus est nec cuiquam adhibendast
230 almae nutricis blanda atque infracta loquella
nec varias quaerunt vestes pro tempore caeli,
denique non armis opus est, non moenibus altis,
qui sua tutentur, quando omnibus omnia large
tellus ipsa parit naturaque daedala rerum.
235 Principio quoniam terrai corpus et umor
aurarumque leves animae calidique vapores,
e quibus haec rerum consistere summa videtur,
omnia nativo ac mortali corpore constant,
debet eodem omnis mundi natura putari.
240 quippe etenim, quorum partis et membra videmus
corpore nativo mortalibus esse figuris,
haec eadem ferme mortalia cernimus esse
et nativa simul. qua propter maxima mundi
cum videam membra ac partis consumpta regigni,
245 scire licet caeli quoque item terraeque fuisse
principiale aliquod tempus clademque futuram.
Illud in his rebus ne corripuisse rearis
me mihi, quod terram atque ignem mortalia sumpsit
esse neque umorem dubitavi aurasque perire

250 atque eadem gigni rursusque augescere dixi.
 principio pars terrai non nulla, perusta
 solibus adsiduis, multa pulsata pedum vi,
 pulveris exhalat nebulam nubesque volantis,
 quas validi toto dispergunt aëre venti.
 255 pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
 imbribus et ripas radentia flumina rodunt.
 praeterea pro parte sua, quod cumque alit auget,
 redditur; et quoniam dubio procul esse videtur
 omniparens eadem rerum commune sepulcrum.
 260 ergo terra tibi libatur et aucta recrescit. <...>
 925 Et genus humanum multo fuit illud in arvis
 durius, ut decuit, tellus quod dura creasset,
 et maioribus et solidis magis ossibus intus
 fundatum, validis aptum per viscera nervis,
 nec facile ex aestu nec frigore quod caperetur
 930 nec novitate cibi nec labi corporis ulla.
 multaque per caelum solis volventia lustra
 volgivago vitam tractabant more ferarum.
 nec robustus erat curvi moderator aratri
 quisquam, nec scibat ferro molirier arva
 935 nec nova defodere in terram virgulta neque altis
 arboribus veteres decidere falcibus ramos.
 quod sol atque imbres dederant, quod terra creatat
 sponte sua, satis id placabat pectora donum.
 glandiferas inter curabant corpora quercus
 940 plerumque; et quae nunc hiberno tempore cernis
 arbiter puniceo fieri matura colore,
 plurima tum tellus etiam maiora ferebat.
 multaque praeterea novitas tum florida mundi
 pabula dura tulit, miseris mortalibus ampla.
 945 at sedare sitim fluvii fontesque vocabant,
 ut nunc montibus e magnis decursus aquai
 claricitat late sitientia saecula ferarum.
 denique nota vagis silvestria templa tenebant
 nympharum, quibus e scibant umore fluentia
 950 lubrica proluvie larga lavere umida saxa,
 umida saxa, super viridi stillantia musco,
 et partim plano scatere atque erumpere campo.
 necdum res igni scibant tractare neque uti
 pellibus et spoliis corpus vestire ferarum,

955 sed nemora atque cavos montis silvasque colebant
et frutices inter condebant squalida membra
verbera ventorum vitare imbrisque coacti.
nec commune bonum poterant spectare neque ullis
moribus inter se scibant nec legibus uti.

960 quod cuique obtulerat praedae fortuna, ferebat
sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
et Venus in silvis iungebat corpora amantum;
conciliabat enim vel mutua quamque cupido
vel violenta viri vis atque inpensa libido

965 vel pretium, glandes atque arbita vel pira lecta.
et manuum mira freti virtute pedumque
consectabantur silvestria saecla ferarum
missilibus saxis et magno pondere clavae.
multaque vincebant, vitabant pauca latebris;

970 saetigerisque pares subus silvestria membra
nuda dabant terrae nocturno tempore capti,
circum se foliis ac frondibus involventes.
nec plangore diem magno solemque per agros
quaerebant pavidi palantes noctis in umbris,

975 sed taciti respectabant somnoque sepulti,
dum rosea face sol inferret lumina caelo.
a parvis quod enim consuerant cernere semper
alterno tenebras et lucem tempore gigni,
non erat ut fieri posset mirarier umquam

980 nec diffidere, ne terras aeterna teneret
nox in perpetuum detracto lumine solis.
sed magis illud erat curae, quod saecla ferarum
infestam miseris faciebant saepe quietem.
eiectique domo fugiebant saxea tecta

985 spumigeri suis adventu validique leonis
atque intempesta cedebant nocte paventes
hospitibus saevis instrata cubilia fronde.

Nec nimio tum plus quam nunc mortalia saecla
dulcia linquebant lamentis lumina vitae.

990 unus enim tum quisque magis deprensus eorum
pabula viva feris praebebat, dentibus haustus,
et nemora ac montis gemitu silvasque replebat
viva videns vivo sepeliri viscera busto.
at quos effugium servarat corpore adeso,

995 posterius tremulas super ulcera tetra tenentes
 palmas horriferae accibant vocibus Orcum,
 donique eos vita privarant vermina saeva
 expertis opis, ignaros quid volnera vellent.
 at non multa virum sub signis milia ducta
 1000 una dies dabat exitio nec turbida ponti
 aequora lidebant navis ad saxa virosque.
 nam temere in cassum frustra mare saepe coortum
 saevibat leviterque minas ponebat inanis,
 nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
 1005 subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.
 improba navigii ratio tum caeca iacebat.
 tum penuria deinde cibi languentia leto
 membra dabat, contra nunc rerum copia mersat.
 illi imprudentes ipsi sibi saepe venenum
 1010 vergebant, nunc dant <aliis> sollertius ipsi. <...>
 1028 At varios linguae sonitus natura subegit
 mittere et utilitas expressit nomina rerum,
 1030 non alia longe ratione atque ipsa videtur
 protrahere ad gestum pueros infantia linguae,
 cum facit ut digito quae sint praesentia monstrant.
 sentit enim vim quisque suam quod possit abuti.
 cornua nata prius vitulo quam frontibus extant,
 1035 illis iratus petit atque infestus inurget.
 at catuli pantherarum scymnique leonum
 unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
 vix etiam cum sunt dentes unguisque creati.
 alituum porro genus alis omne videmus
 1040 fidere et a pennis tremulum petere auxiliatum.
 proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
 rebus et inde homines didicisse vocabula prima,
 desiperest. nam cur hic posset cuncta notare
 vocibus et varios sonitus emittere linguae,
 1045 tempore eodem alii facere id non quisse putentur?
 praeterea si non alii quoque vocibus usi
 inter se fuerant, unde insita notities est
 utilitatis et unde data est huic prima potestas,
 quid vellet facere ut sciret animoque videret?

1050 cogere item pluris unus victosque domare
 non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent.
 nec ratione docere ulla suadereque surdis,
 quid sit opus facto, facilest; neque enim paterentur
 nec ratione ulla sibi ferrent amplius auris
 1055 vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
 postremo quid in hac mirabile tantoperest re,
 si genus humanum, cui vox et lingua vigeret,
 pro vario sensu varia res voce notaret?
 cum pecudes mutae, cum denique saecla ferarum
 1060 dissimilis soleant voces variasque ciere,
 cum metus aut dolor est et cum iam gaudia gliscunt.
 quippe <et>enim licet id rebus cognoscere apertis.
 inritata canum cum primum magna Molossum
 mollia ricta fremunt duros nudantia dentes,
 1065 longe alio sonitu rabies <re>stricta minatur,
 et cum iam latrant et vocibus omnia complent;
 at catulos blande cum lingua lambere temptant
 aut ubi eos lactant, pedibus morsuque potentes
 suspensis teneros imitantur dentibus haustus,
 1070 longe alio pacto gannitu vocis adulant,
 et cum deserti baubantur in aedibus, aut cum
 plorantis fugiunt summisso corpore plagas.
 denique non hinnitus item differre videtur,
 inter equas ubi equus florenti aetate iuvenus
 1075 pinnigeri saevit calcaribus ictus Amoris
 et fremitum patulis sub naribus edit ad arma,
 et cum sic alias concussis artibus hinnit?
 postremo genus alituum variaequae volucres,
 accipitres atque ossifragae mergique marinis
 1080 fluctibus in salso victum vitamque petentes,
 longe alias alio iaciunt in tempore voces,
 et quom de victu certant praedaeque repugnant.
 et partim mutant cum tempestatibus una
 raucisonos cantus, cornicum ut saecla vetusta
 1085 corvorumque gregis ubi aquam dicuntur et imbris
 poscere et inter dum ventos aurasque vocare.
 ergo si varii sensus animalia cogunt,
 muta tamen cum sint, varias emittere voces,
 quanto mortalis magis aequumst tum potuisse

1090 dissimilis alia atque alia res voce notare! <...>
 1136 Ergo regibus occisis subversa iacebat
 pristina maiestas soliorum et scepra superba,
 et capitis summi praeclarum insigne cruentum
 sub pedibus vulgi magnum lugebat honorem;
 1140 nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
 res itaque ad summam faecem turbasque redibat,
 imperium sibi cum ac summatum quisque petebat.
 inde magistratum partim docuere creare
 iuraque constituere, ut vellent legibus uti.
 1145 nam genus humanum, defessum vi colere aevom,
 ex inimicitiiis languebat; quo magis ipsum
 sponte sua cecidit sub leges artaque iura.
 acrius ex ira quod enim se quisque parabat
 ulcisci quam nunc concessumst legibus aequis,
 1150 hanc ob rem est homines pertaesum vi colere aevom.
 inde metus maculat poenarum praemia vitae.
 circumretit enim vis atque iniuria quemque
 atque unde exortast, ad eum plerumque revertit,
 nec facilest placidam ac pacatam degere vitam
 1155 qui violat factis communia foedera pacis.
 etsi fallit enim divom genus humanumque,
 perpetuo tamen id fore clam diffidere debet;
 quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes
 aut morbo delirantes protraxe ferantur
 1160 et celata <mala> in medium et peccata dedisse.
 Nunc quae causa deum per magnas numina gentis
 pervulgarit et ararum compleverit urbis
 suscipiendaque curarit sollemnia sacra,
 quae nunc in magnis florent sacra rebus locisque,
 1165 unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
 qui delubra deum nova toto suscitavit orbi
 terrarum et festis cogit celebrare diebus,
 non ita difficilest rationem reddere verbis.
 quippe etenim iam tum divom mortalia saecula
 1170 egregias animo facies vigilante videbant
 et magis in somnis mirando corporis auctu.
 his igitur sensum tribuebant propterea quod
 membra movere videbantur vocesque superbas
 mittere pro facie praeclara et viribus amplis.

1175 aeternamque dabant vitam, quia semper eorum
subpeditabatur facies et forma manebat,
et tamen omnino quod tantis viribus auctos
non temere ulla vi convinci posse putabant.
1180 fortunisque ideo longe praestare putabant,
quod mortis timor haut quemquam vexaret eorum,
et simul in somnis quia multa et mira videbant
efficere et nullum capere ipsos inde laborem.
praeterea caeli rationes ordine certo
et varia annorum cernebant tempora verti
1185 nec poterant quibus id fieret cognoscere causas.
ergo per fugium sibi habebant omnia divis
tradere et illorum nutu facere omnia flecti.
in caeloque deum sedes et templa locarunt,
per caelum volvi quia nox et luna videtur,
1190 luna dies et nox et noctis signa severa
noctivagaeque faces caeli flammaeque volantes,
nubila sol imbres nix venti fulmina grando
et rapidi fremitus et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum, talia divis
1195 cum tribuit facta atque iras adiunxit acerbas!
quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis
volnera, quas lacrimas peperere minoribus nostris!
nec pietas ullast velatum saepe videri
vertier ad lapidem atque omnis accedere ad aras
1200 nec procumbere humi prostratum et pandere palmas
ante deum delubra nec aras sanguine multo
spargere quadrupedum nec votis nectere vota,
sed mage pacata posse omnia mente tueri.
nam cum suspicimus magni caelestia mundi
1205 templa super stellisque micantibus aethera fixum,
et venit in mentem solis lunaeque viarum,
tunc aliis oppressa malis in pectora cura
illa quoque expergefactum caput erigere inquit,
ne quae forte deum nobis inmensa potestas
1210 sit, vario motu quae candida sidera verset;
temptat enim dubiam mentem rationis egestas,
ecquae nam fuerit mundi genitilis origo,
et simul ecquae sit finis, quoad moenia mundi
et taciti motus hunc possint ferre laborem,

1215 an divinitus aeterna donata salute
 perpetuo possint aevi labentia tractu
 inmensi validas aevi contemnere viris.
 praeterea cui non animus formidine divum
 contrahitur, cui non correpunt membra pavore,
 1220 fulminis horribili cum plaga torrida tellus
 contremit et magnum percurrunt murmura caelum?
 non populi gentesque tremunt, regesque superbi
 corripiunt divum percussi membra timore,
 ne quod ob admissum foede dictumve superbe
 1225 poenarum grave sit solvendi tempus adauctum?
 summa etiam cum vis violenti per mare venti
 induperatorem classis super aequora verrit
 cum validis pariter legionibus atque elephantis,
 non divom pacem votis adit ac prece quaesit
 1230 ventorum pavidus paces animasque secundas?
 ne quiquam, quoniam violento turbine saepe
 correptus nihilo fertur minus ad vada leti.
 usque adeo res humanas vis abdita quaedam
 operit et pulchros fascis saevasque secures
 1235 proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.
 denique sub pedibus tellus cum tota vacillat
 concussaeque cadunt urbes dubiaeque minantur,
 quid mirum si se temnunt mortalia saecla
 atque potestatis magnas mirasque relinquunt
 1240 in rebus viris divum, quae cuncta gubernent?
 Quod super est, ae<s at>que aurum ferrumque repertumst
 et simul argenti pondus plumbique potestas,
 ignis ubi ingentis silvas ardore cremarat
 montibus in magnis, seu caelo fulmine misso,
 1245 sive quod inter se bellum silvestre gerentes
 hostibus intulerant ignem formidinis ergo,
 sive quod inducti terrae bonitate volebant
 pandere agros pinguis et pascua reddere rura,
 sive feras interficere et ditescere praeda;
 1250 nam fovea atque igni prius est venarier ortum
 quam saepire plagis saltum canibusque ciere.
 quicquid id est, qua cumque e causa flammeus ardor
 horribili sonitu silvas exederat altis
 a radicibus et terram percoxerat igni,

1255 manabat venis ferventibus in loca terrae
concava conveniens argenti rivus et auri,
aeris item et plumbi. quae cum concreta videbant
posterius claro in terra splendere colore,
1260 tollebant nitido capti levique lepore,
et simili formata videbant esse figura
atque lacunarum fuerant vestigia cuique. <...>

CAIUS VALERIUS CATULLUS

Гай Валерий Катулл (ок. 87 – ок. 54 гг. до н. э.) – известный римский поэт периода поздней республики. Родился в Вероне. О его жизни очень мало сведений, кроме тех, что встречаются в стихотворениях самого поэта. Из них следует, что Катулл был страстно влюблен в знатную замужнюю женщину по имени Клодия, которую он воспел под именем Лесбии.

Поэт отошел от старых римских традиций, обратившись к изысканной александрийской лирике Сапфо. Сохранился один сборник его стихов, включающий 116 произведений различного содержания. Творчество Катулла оказало большое влияние на дальнейшее развитие лирической поэзии Европы.

CATULLI VERONENSIS LIBER*

CARMEN II

- 1 Passer, deliciae meae puellae,
quicum ludere, quem in sinu tenere,
cui primum digitum dare appetenti
et acres solet incitare morsus
5 cum desiderio meo nitenti
carum nescioquid libet iocari,
8 credo, ut, cum gravis acquiescet ardor,
7 sit solaciolum sui doloris:
9 tecum ludere, sicut ipsa, posse
10 et tristes animi levare curas
tam gratumst mihi quam ferunt puellae
pernici aureolum fuisse malum,
quod zonam soluit diu ligatam.

* Стихотворения из «Книги Катулла Веронского» приводятся по изданию: Catullus / ed. G. P. Goold. London, 1983.

CARMEN III

1 Lugete, o Veneres Cupidinesque,
et quantumst hominum venustiorum!
passer mortuus est meae puellae,
passer, deliciae meae puellae,
5 quem plus illa oculis suis amabat:
nam mellitus erat suamque norat
ipsam tam bene quam puella matrem,
nec sese a gremio illius movebat,
sed circumsiliens modo huc modo illuc
10 ad solam dominam usque pipiabat.
qui nunc it per iter tenebricosum
illuc, unde negant redire quemquam.
at vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
15 tam bellum mihi passerem abstulistis.
o factum male, quod, miselle passer,
tua nunc opera meae puellae
flendo turgiduli rubent ocelli!

CARMEN V

1 Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
rumoresque senum severiorum
omnes unius aestimemus assis.
soles occidere et redire possunt:
5 nobis, cum semel occidit brevis lux,
nox est perpetua una dormienda.
da mi basia mille, deinde centum,
dein mille altera, dein secunda centum,
deinde usque altera mille, deinde centum.
10 dein, cum milia multa fecerimus,
conturbabimus illa, ne sciamus,
aut nequis malus invidere possit,
cum tantum sciat esse basiorum.

CARMEN XXVII

1 Minister vetuli puer Falerni,
inger mi calices amariores,
ut lex Postumiae iubet magistræ
ebrioso acino ebriosioris.

5 at vos quo libet hinc abite, lymphae,
vini perniciēs, et ad severos
migrate: hic merus est Thyonianus.

CARMEN XLVI

1 Iam ver egelidos refert tepores,
iam caeli furor aequinoctialis
iucundis Zephyri silescit auris.
linquantur Phrygii, Catulle, campi
5 Nicaeaeque ager uber aestuosae:
ad claras Asiae volemus urbes.
iam mens praetrepidans avet vagari,
iam laeti studio pedes vigescunt.
o dulces comitum valete coetus,
10 longe quos simul a domo profectos
diversae varie viae reportant!

CARMEN LI

1 Ille mi par esse deo videtur,
ille, si fas est, superare divos,
qui sedens adversus identidem te
spectat et audit
5 dulce ridentem, misero quod omnes
eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi
<vocis in ore;>
lingua sed torpet, tenuis sub artus
10 flamma demanat, sonitu suopte
tintinant aures geminae, teguntur
lumina nocte.
otium, Catulle, tibi molestumst:
otio exsultas nimiumque gestis:
15 otium et reges prius et beatas
perdidit urbes.

CARMEN LXXXV

1 Odi et amo. quare id faciam, fortasse requiris.
nescio, sed fieri sentio et excrucior.

CARMEN CI

1 Multas per gentes et multa per aequora vectus
advenio has miseris, frater, ad inferias,
ut te postremo donarem munere mortis
et mutam nequiquam alloquerer cinerem,
5 quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
heu miser indigne frater adempte mihi.
nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum
tradita sunt tristi munere ad inferias,
accipe fraterno multum manantia fletu,
10 atque in perpetuum, frater, ave atque vale!

CAIUS SALLUSTIUS CRISPUS

Гай Саллюстий Крисп (86–35 гг. до н. э.) – римский историк и политический деятель, сторонник Цезаря во время гражданской войны. После его смерти отошел от политики и занялся литературным творчеством. До наших дней дошли две монографии Саллюстия: «Югуртинская война», повествующая о войне Рима с нумидийским царем Югуртой в 111–106 гг. до н. э., и «Заговор Катилины» – о событиях 63 г. до н. э., когда консулом Марком Туллием Цицероном был раскрыт и подавлен заговор под предводительством Луция Сергия Катилины. Также в виде нескольких отрывков сохранилась «История», описывавшая события со смерти Луция Корнелия Суллы (78 г. до н. э.) до третьей войны с Митридатом (67 г. до н. э.).

Саллюстий подражал стилю греческого историка Фукидида, поэтому его произведения характеризуются лаконичностью и отсутствием украшательства; в них употребляются различные морфологические и орфографические архаизмы. В свою очередь творчество Саллюстия повлияло на стиль Публия Корнелия Тацита, назвавшего его самым блестящим историком Рима.

CATILINAE CONIURATIO*

- 1 (I. 1) Omnis homines, qui sese student praestare ceteris animalibus,
summa ope niti decet, ne vitam silentio transeant veluti pecora, quae
natura prona atque ventri oboedientia finxit. (2) sed nostra omnis vis in
animo et corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis
5 utimur; alterum nobis cum dis, alterum cum beluis commune est.
(3) quo mihi rectius videtur ingeni quam virium opibus gloriam
quaerere et, quoniam vita ipsa qua fruimur brevis est, memoriam nostri
quam maxime longam efficere. (4) nam divitiarum et formae gloria
fluxa atque fragilis est, virtus clara aeternaque habetur.
10 (5) Sed diu magnum inter mortalis certamen fuit, vine corporis an
virtute animi res militaris magis procederet. nam et prius quam incipias

* Фрагменты произведения «О заговоре Катилины» приводятся по изданию: C. Sallusti Crispi Catilina, Iugurtha, Fragmenta Ampliora / ed. A. Kurfess. Lipsiae, 1957.

consulto, et ubi consulueris mature facto opus est. ita utrumque per se indigens alterum alterius auxilio eget. (II. 1) igitur initio reges – nam in terris nomen imperi id primum fuit – divorsi pars ingenium, alii corpus
15 exercebant: etiam tum vita hominum sine cupiditate agitabatur; sua cuique satis placebant. (2) postea vero quam in Asia Cyrus, in Graecia Lacedaemonii et Athenienses coepere urbis atque nationes subigere, lubidinem dominandi causam belli habere, maxumam gloriam in maxumo imperio putare, tum demum periculo atque negotiis
20 conpertum est in bello plurimum ingenium posse. (3) quod si regum atque imperatorum animi virtus in pace ita ut in bello valeret, aequabilis atque constantius sese res humanae haberent, neque aliud alio ferri neque mutari ac misceri omnia cerneret. (4) nam imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est. (5) verum ubi pro labore desidia, pro continentia et aequitate lubido atque superbia
25 invasere, fortuna simul cum moribus inmutatur. (6) ita imperium semper ad optimum quemque a minus bono transfertur.

(7) Quae homines arant navigant aedificant, virtuti omnia parent. (8) sed multi mortales, dediti ventri atque somno, indocti incultique
30 vitam sicuti peregrinantes transigere; quibus profecto contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit. eorum ego vitam mortemque iuxta aestumo, quoniam de utraque siletur. (9) verum enim vero is demum mihi vivere atque frui anima videtur, qui aliquo negotio intentus praeclari facinoris aut artis bonae famam quaerit.

Sed in magna copia rerum aliud alii natura iter ostendit. (III. 1) pulchrum est bene facere rei publicae, etiam bene dicere haud
35 absurdum est; vel pace vel bello clarum fieri licet; et qui fecere et qui facta aliorum scripsere, multi laudantur. (2) ac mihi quidem, tametsi haudquaquam par gloria sequitur scriptorem et auctorem rerum, tamen in primis arduum videtur res gestas scribere: primum quod facta dictis
40 exequenda sunt; dein quia plerique quae delicta reprehenderis malevolentia et invidia dicta putant, ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae sibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit, supra ea veluti ficta pro falsis ducit.

(3) Sed ego adulescentulus initio, sicuti plerique, studio ad rem publicam latus sum, ibique mihi multa advorsa fuere. nam pro pudore, pro
45 abstinentia, pro virtute audacia largitio avaritia vigeabant. (4) quae tametsi animus aspernabatur insolens malarum artium, tamen inter tanta vitia inbecilla aetas ambitione conrupta tenebatur; (5) ac me, cum ab relicuorum malis moribus dissentirem, nihilo minus honoris cupido eadem quae
50 ceteros fama atque invidia vexabat. (IV. 1) igitur ubi animus ex multis

miseriis atque periculis requievit et mihi relicuam aetatem a re publica
procul habendam decrevi, non fuit consilium socordia atque desidia bonum
otium conterere, neque vero agrum colundo aut venando, servilibus
55 officiis, intentum aetatem agere; (2) sed a quo incepto studioque me
ambitio mala detinuerat, eodem regressus statui res gestas populi Romani
carptim, ut quaeque memoria digna videbantur, perscribere, eo magis quod
mihi a spe metu partibus rei publicae animus liber erat.

(3) Igitur de Catilinae coniuratione quam verissime potero paucis
60 absolvam; (4) nam id facinus in primis ego memorabile existumo
sceleris atque periculi novitate. (5) de cuius hominis moribus pauca
prius explananda sunt, quam initium narrandi faciam.

(V. 1) L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et
corporis, sed ingenio malo pravoque. (2) huic ab adulescentia bella
65 intestina caedes rapinae discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem
suam exercuit. (3) corpus patiens inediae algoris vigiliae, supra quam
cuiquam credibile est. (4) animus audax subdolos varius, cuius rei lubet
simulator ac dissimulator, alieni adpetens, sui profusus, ardens in
cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. (5) vastus animus
70 immoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat. (6) hunc post
dominationem L. Sullae lubido maxuma invaserat rei publicae capiundae;
neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam
pensi habebat. (7) agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia
rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque iis artibus auxerat,
75 quas supra memoravi. (8) incitabant praeterea conrupti civitatis mores,
quos pessuma ac divorsa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

(9) Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus
admonuit, supra repetere ac paucis instituta maiorum domi militiaeque,
quo modo rem publicam habuerint quantamque reliquerint, ut paulatim
80 inmutata ex pulcherruma atque optuma pessuma ac flagitiosissima
facta sit, disserere.

(VI. 1) Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere
initio Troiani, qui Aenea duce profugi sedibus incertis vagabantur, et cum
his Aborigines, genus hominum agreste, sine legibus, sine imperio,
85 liberum atque solutum. (2) hi postquam in una moenia convenere, dispari
genere, dissimili lingua, alius alio more viventes, incredibile memoratu
est quam facile coaluerint: ita brevi multitudo divorsa atque vaga
concordia civitas facta erat. (3) sed postquam res eorum civibus moribus
agris aucta satis prospera satisque pollens videbatur, sicuti pleraque
90 mortalium habentur, invidia ex opulentia orta est. (4) igitur reges
populique finitumi bello temptare, pauci ex amicis auxilio esse: nam

ceteri metu perculsi a periculis aberant. (5) at Romani domi militiaeque
intenti festinare, parare, alius alium hortari, hostibus obviam ire,
libertatem patriam parentisque armis tegere. post ubi pericula virtute
95 propulerant, sociis atque amicis auxilia portabant, magisque dandis quam
accipiendis beneficiis amicitias parabant. (6) imperium legitimum,
nomen imperii regium habebant. delecti, quibus corpus annis infirmum,
ingenium sapientia validum erat, rei publicae consultabant: hi vel aetate
vel curae similitudine patres appellabantur. (7) post ubi regium imperium,
100 quod initio conservandae libertatis atque augendae rei publicae fuerat, in
superbiam dominationemque se convortit, inmutato more annua imperia
binosque imperatores sibi fecere: eo modo minime posse putabant per
licentiam insolescere animum humanum. <...>

(XV. 1) Iam primum adulescens Catilina multa nefanda stupra
105 fecerat, cum virgine nobili, cum sacerdote Vestae, alia huiusce modi
contra ius fasque. (2) postremo captus amore Aureliae Orestillae, cuius
praeter formam nihil unquam bonus laudavit, quod ea nubere illi
dubitabat timens privignum adulta aetate, pro certo creditur necato filio
vacuam domum scelestis nuptiis fecisse. (3) quae quidem res mihi in
110 primis videtur causa fuisse facinus maturandi. (4) namque animus
inpurus, dis hominibusque infestus, neque vigiliis neque quietibus
sedari poterat: ita conscientia mentem excitam vastabat. (5) igitur colos
exanguis, foedi oculi, citus modo, modo tardus incessus: prorsus in
facie voltuque vecordia inerat.

(XVI. 1) Sed iuventutem, quam, ut supra diximus, inlexerat, multis
115 modis mala facinora edocebat. (2) ex illis testis signatoresque falsos
commodare; fidem fortunas pericula vilia habere; post ubi eorum
famam atque pudorem adtriverat, maiora alia imperabat. (3) si causa
peccandi in praesens minus suppetebat, nihilo minus insontis sicuti
120 sontis circumvenire iugulare: scilicet ne per otium torpescerent manus
aut animus, gratuito potius malus atque crudelis erat.

(4) His amicis sociisque confisus Catilina, simul quod aes alienum
per omnis terras ingens erat et quod plerique Sullani milites, largius
suo usi, rapinarum et victoriae veteris memores civile bellum
125 exoptabant, opprimundae rei publicae consilium cepit. (5) in Italia
nullus exercitus, Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat; ipsi
consulatum petenti magna spes, senatus nihil sane intentus: tutae
tranquillaeque res omnes, sed ea prorsus opportuna Catilinae.

(XVII. 1) Igitur circiter Kal. Iunias L. Caesare et C. Figulo
130 consulibus primo singulos appellare; hortari alios, alios temptare; opes
suas, inparatam rem publicam, magna praemia coniurationis docere.

(2) ubi satis explorata sunt quae voluit, in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo et plurimum audaciae inerat. (3) eo convenere senatorii ordinis P. Lentulus Sura, P. Autronius, L. Cassius Longinus, 135 C. Cethegus. P. et Ser. Sullae Ser. filii, L. Vargunteius, Q. Annius, M. Porcius Laeca, L. Bestia, Q. Curius; (4) praeterea ex equestri ordine M. Fulvius Nobilior, L. Statilius, P. Gabinius Capito, C. Cornelius; ad hoc multi ex coloniis et municipiis domi nobiles. (5) erant praeterea complures paulo occultius consili huiusce participes nobiles, quos magis 140 dominationis spes hortabatur quam inopia aut alia necessitudo. (6) ceterum iuventus pleraque, sed maxume nobilium Catilinae inceptis favebat: quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat; incerta pro certis, bellum quam pacem malebant. (7) fuere item ea tempestate qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum eius consili 145 fuisse: quia Cn. Pompeius, invisus ipsi, magnum exercitum ductabat, cuiusvis opes voluisse contra illius potentiam crescere, simul confisum, si coniuratio valisset, facile apud illos principem se fore. <...>

(XXIII. 1) Sed in ea coniuratione fuit Q. Curius, natus haud obscuro loco, flagitiis atque facinoribus coopertus, quem censores 150 senatu probri gratia moverant. (2) huic homini non minor vanitas inerat quam audacia: neque reticere quae audierat, neque suamet ipse scelera occultare, prorsus neque dicere neque facere quicquam pensi habebat. (3) erat ei cum Fulvia, muliere nobili, stupri vetus consuetudo. cui cum minus gratus esset, quia inopia minus largiri poterat, repente glorians 155 maria montisque polliceri coepit et minari etiam ferro, ni sibi obnoxia foret, postremo ferocius agitare quam solitus erat. (4) at Fulvia insolentiae Curi causa cognita tale periculum rei publicae haud occultum habuit, sed sublato auctore de Catilinae coniuratione quae quoque modo audierat compluribus narravit.

(5) Ea res in primis studia hominum adcondit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. namque antea pleraque nobilitas 160 invidia aestuabat, et quasi pollui consulatum credebant, si eum quamvis egregius homo novos adeptus foret. sed ubi periculum advenit, invidia atque superbia post fuere. (XXIV. 1) igitur comitiis habitis consules 165 declarantur M. Tullius et C. Antonius. quod factum primo popularis coniurationis concusserat. (2) neque tamen Catilinae furor minuebatur, sed in dies plura agitare: arma per Italiam locis opportunis parare, pecuniam sua aut amicorum fide sumptam mutuam Faesulas ad Manlium quendam portare, qui postea princeps fuit belli faciundi. (3) ea 170 tempestate plurimos cuiusque generis homines adscivisse sibi dicitur, mulieres etiam aliquot, quae primo ingentis sumptus stupro corporis

toleraverant, post ubi aetas tantummodo quaestui neque luxuriae modum fecerat, aes alienum grande conflaverant. (4) per eas se Catilina credebat posse servitia urbana sollicitare, urbem incendere, viros earum vel adiungere sibi vel interficere.

175

(XXV. 1) Sed in iis erat Sempronia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat. (2) haec mulier genere atque forma, praeterea viro liberis satis fortunata fuit; litteris Graecis Latinis docta, psallere et saltare elegantius quam necesse est probae, multa alia, quae instrumenta luxuriae sunt. (3) sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit; pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres; libido sic adensa, ut saepius peteret viros quam peteretur. (4) sed ea saepe antehac fidem prodiderat, creditum abiuraverat, caedis conscia fuerat: luxuria atque inopia praeceps abierat. (5) verum ingenium eius haud absurdum: posse versus facere, iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci; prorsus multae facetiae multusque lepos inerat.

180

185

(XXVI. 1) His rebus conparatis Catilina nihilo minus in proximum annum consulatum petebat, sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum. neque interea quietus erat, sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni. (2) neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiae deerant. (3) namque a principio consulatus sui multa pollicendo per Fulviam effecerat, ut Q. Curius, de quo paulo ante memoravi, consilia Catilinae sibi proderet; (4) ad hoc conlegam suum Antonium pactione provinciae perpulerat, ne contra rem publicam sentiret; circum se praesidia amicorum atque clientium occulte habebat. (5) postquam dies comitiorum venit et Catilinae neque petitio neque insidiae, quas consulibus in campo fecerat, prospere cessere, constituit bellum facere et extrema omnia experiri, quoniam quae occulte temptaverat aspera foedaque evenerant.

190

195

200

(XXVII. 1) Igitur C. Manlium Faesulas atque in eam partem Etruriae, Septimium quendam Camertem in agrum Picenum, C. Iulium in Apuliam dimisit, praeterea alium alio, quem ubique opportunum sibi fore credebat. (2) interea Romae multa simul moliri: consulibus insidias tendere, parare incendia, opportuna loca armatis hominibus obsidere; ipse cum telo esse, item alios iubere, hortari uti semper intenti paratique essent; dies noctisque festinare vigilare, neque insomniis neque labore fatigari. (3) postremo, ubi multa agitantii nihil procedit, rursus intempesta nocte coniurationis principes convocat per M. Porcium Laecam, ibique multa de ignavia eorum questus docet se Manlium praemisisse ad eam multitudinem, quam ad capiunda arma paraverat, item alios in alia loca opportuna, qui initium belli facerent, seque ad exercitum proficisci

205

210

cupere, si prius Ciceronem oppressisset: eum suis consiliis multum
officere. (XXVIII. 1) igitur perterritis ac dubitantibus ceteris C. Cornelius
215 eques Romanus operam suam pollicitus et cum eo L. Vargunteius senator
constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum
introire ad Ciceronem ac de inproviso domi suae inparatum confodere.
(2) Curius ubi intellegit, quantum periculum consuli impendat, propere
per Fulviam Ciceroni dolum qui parabatur enuntiat. (3) ita illi ianua
prohibiti tantum facinus frustra susceperant.

220 (4) Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac
dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione
agros bonaque omnia amiserat, praeterea latrones cuiusque generis,
quorum in ea regione magna copia erat, nonnullos ex Sullanis coloniis,
quibus lubido atque luxuria ex magnis rapinis nihil relicui fecerant.

225 (XXIX. 1) Ea cum Ciceroni nuntiarentur, ancipiti malo permotus,
quod neque urbem ab insidiis privato consilio longius tueri poterat
neque, exercitus Manli quantus aut quo consilio foret, satis conpertum
habebat, rem ad senatum refert, iam antea volgi rumoribus exagitatam.
(2) itaque, quod plerumque in atroci negotio solet, senatus decrevit,
230 darent operam consules, ne quid res publica detrimenti caperet. (3) ea
potestas per senatum more Romano magistratui maxuma permittitur:
exercitum parare, bellum gerere, coercere omnibus modis socios atque
civis, domi militiaeque imperium atque iudicium summum habere;
aliter sine populi iussu nullius earum rerum consuli ius est.

235 (XXX. 1) Post paucos dies L. Saenius senator in senatu litteras
recitavit, quas Faesulis adlatas sibi dicebat, in quibus scriptum erat
C. Manlium arma cepisse cum magna multitudine ante diem VI Kal.
Novembris. (2) simul, id quod in tali re solet, alii portenta atque prodigia
nuntiabant, alii conventus fieri, arma portari, Capuae atque in Apulia
240 servile bellum moveri. (3) igitur senati decreto Q. Marcius Rex
Faesulas, Q. Metellus Creticus in Apuliam circumque ea loca missi –
(4) hi utrique ad urbem imperatores erant, impediti ne triumpharent
calumnia paucorum, quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos
erat, – (5) sed praetores Q. Pompeius Rufus Capuam, Q. Metellus Celer
245 in agrum Picenum, iisque permissum, uti pro tempore atque periculo
exercitum compararent. (6) ad hoc, si quis indicavisset de coniuratione,
quae contra rem publicam facta erat, praemium servo libertatem et
sestertia centum, libero inpunitatem eius rei et sestertia ducenta [milia],
(7) itemque decrevere, uti gladiatoriae familiae Capuam et in cetera
250 municipia distribuerentur pro cuiusque opibus, Romae per totam urbem
vigiliae haberentur iisque minores magistratus praessent.

(XXXI. 1) Quis rebus permota civitas atque inmutata urbis facies erat. ex summa laetitia atque lascivia, quae diuturna quies pepererat, repente omnis tristitia invasit: (2) festinare, trepidare, neque loco neque homini cuiquam satis credere, neque bellum gerere neque pacem habere, suo quisque metu pericula metiri. (3) ad hoc mulieres, quibus rei publicae magnitudine belli timor insolitus incesserat, adflictae sese, manus supplices ad caelum tendere, miserari parvos liberos, rogare omnia, <omni rumore> pavere, <adripere omnia> superbia atque deliciis omissis, sibi patriaeque diffidere.

(4) At Catilinae crudelis animus eadem illa movebat, tametsi praesidia parabantur et ipse lege Plautia interrogatus erat ab L. Paulo. (5) postremo dissimulandi causa aut sui expurgandi, sicut iurgio lacessitus foret, in senatum venit. (6) tum M. Tullius consul, sive praesentiam eius timens sive ira conmotus, orationem habuit luculentam atque utilem rei publicae, quam postea scriptam edidit. (7) sed ubi ille adsedit, Catilina, ut erat paratus ad dissimulanda omnia, demisso voltu, voce supplicis postulare a patribus coepit, ne quid de se temere crederent: ea familia ortum, ita se ab adulescentia vitam instituisse, ut omnia bona in spe haberet; ne existumarent sibi, patricio homini, cuius ipsius atque maiorum plurima beneficia in plebem Romanam essent, perdita re publica opus esse, cum eam servaret M. Tullius, inquilinus civis urbis Romae. (8) ad hoc male dicta alia cum adderet, obstrepere omnes, hostem atque parricidam vocare. (9) tum ille furibundus «quoniam quidem circumventus, – inquit, – ab inimicis praiceps agor, incendium meum ruina extinguiam». (XXXII. 1) deinde se ex curia domum proripuit. ibi multa ipse secum volvens, quod neque insidiae consuli procedebant et ab incendio intellegebat urbem vigiliis munitam, optimum factu credens exercitum augere ac, prius quam legiones scriberentur, multa antecapere, quae bello usui forent, nocte intempesta cum paucis in Manliana castra profectus est. (2) sed Cethego atque Lentulo ceterisque, quorum cognoverat promptam audaciam, mandat, quibus rebus possent, opes factionis confirmant, insidias consuli maturent, caedem incendia aliaque belli facinora parent: sese propediem cum magno exercitu ad urbem adessurum. <...>

(L. 1) Dum haec in senatu aguntur et dum legis Allobrogum et T. Volturcio, conprobato eorum indicio, praemia decernuntur, liberti et pauci ex clientibus Lentuli divorsis itineribus opifices atque servitia in vicis ad eum eripiendum sollicitabant, partim exquirebant duces multitudinum, qui pretio rem publicam vexare soliti erant. (2) Cethegus autem per nuntios familiam atque liberos suos, lectos et exercitatos, orabat in audaciam, ut grege facto cum telis ad sese inrumperent.

(3) consul ubi ea parari cognovit, dispositis praesidiis, ut res atque tempus monebat, convocato senatu refert, quid de iis fieri placeat, qui in custodiam traditi erant. sed eos paulo ante frequens senatus iudicaverat
295 contra rem publicam fecisse. (4) tum D. Iunius Silanus primus sententiam rogatus, quod eo tempore consul designatus erat, de iis, qui in custodiis tenebantur, et praeterea de L. Cassio, P. Furio, P. Umbreno, Q. Annio, si deprehensi forent, supplicium sumundum decreverat; isque postea permotus oratione C. Caesaris pedibus in sententiam Ti. Neronis
300 iturum se dixit, quod de ea re praesidiis additis referendum censuerat. (5) sed Caesar, ubi ad eum ventum est, rogatus sententiam a consule huiusce modi verba locutus est:

(LI. 1) «Omnis homines, patres conscripti, qui de rebus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira atque misericordia vacuos esse decet.
305 (2) haud facile animus verum providet, ubi illa officiant, neque quisquam omnium lubrici simul et usui paruit. (3) ubi intenderis ingenium, valet; si lubrici possidet, ea dominatur, animus nihil valet. (4) magna mihi copia est memorandi, patres conscripti, quae reges atque populi ira aut misericordia impulsus male consuluerint. sed ea malo dicere, quae maiores
310 nostri contra lubricum animi sui recte atque ordine fecere. (5) bello Macedonico, quod cum rege Perse gessimus, Rhodiorum civitas magna atque magnifica, quae populi Romani opibus creverat, infida et adversa nobis fuit. sed postquam bello confecto de Rhodiis consultum est, maiores nostri, ne quis divitiarum magis quam iniuriae causa bellum inceptum diceret, impunitos eos dimiserunt. (6) item bellis Punicis omnibus,
315 cum saepe Carthaginenses et in pace et per inducias multa nefaria facinora fecissent, numquam ipsi per occasionem talia fecere: magis quid se dignum foret, quam quid in illos iure fieri posset, quaerebant hoc item vobis providendum est, patres conscripti. (7) ne plus apud vos valeat
320 P. Lentuli et ceterorum scelus quam vostra dignitas, neu magis irae vestrae quam famae consulatis. (8) nam si digna poena pro factis eorum reperitur, novum consilium adprobo; sin magnitudo sceleris omnium ingenia exuperat, his utendum censeo, quae legibus comparata sunt.

(9) Plerique eorum, qui ante me sententias dixerunt, compositae atque magnifice casum rei publicae miserati sunt. quae belli saevitia esset, quae victis adicerent, enumerare: rapti virgines, pueros; divelli liberos a parentum complexu; matres familiarum pati quae victoribus conlubuissent; fana atque domos spoliari; caedem, incendia fieri; postremo armis, cadaveribus, cruore atque luctu omnia compleri.
325 (10) sed, per deos immortalis, quo illa oratio pertinuit? an uti vos infestos coniurationi faceret? scilicet, quem res tanta et tam atrox non
330

permovit, eum oratio adcendet. (11) non ita est, neque cuiquam
mortalium iniuriae suae parvae videntur, multi eas gravius aequo
habuere. (12) sed alia aliis licentia est, patres conscripti, qui demissi in
335 obscuro vitam habent, si quid iracundia deliquere, pauci sciunt, fama
atque fortuna eorum pares sunt; qui magno imperio praediti in excelso
aetatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. (13) ita in maxuma
fortuna minuma licentia est; neque studere neque odisse, sed minume
irasci decet; (14) quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio
340 superbia atque crudelitas appellatur. (15) equidem ego sic existumo,
patres conscripti, omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse.
sed plerique mortales postrema meminere et in hominibus inpiis
sceleris eorum obliti de poena disserunt, si ea paulo severior fuit.

(16) D. Silanum, virum fortem atque strenuom, certo scio quae dixerit
345 studio rei publicae dixisse, neque illum in tanta re gratiam aut inimicitias
exercere: eos mores eamque modestiam viri cognovi. (17) verum
sententia eius mihi non crudelis – quid enim in talis homines crudele fieri
potest? – (18) sed aliena a re publica nostra videtur. nam profecto aut
metus aut iniuria te subegit, Silane, consulem designatum genus poenae
350 novom decernere. (19) de timore supervacuaneum est disserere, cum
praesertim diligentia clarissimi viri consulis tanta praesidia sint in armis.
(20) de poena possum equidem dicere, id quod res habet, in luctu atque
miseriis mortem aerumnarum requiem, non cruciatum esse; eam cuncta
mortalium mala dissolvere; ultra neque curae neque gaudio locum esse.
355 (21) sed, per deos immortalis, quam ob rem in sententiam non addidisti,
uti prius verberibus in eos animadvorteretur? (22) an quia lex Porcia
vetat? at aliae leges item condemnatis civibus non animam eripi, sed
exilium permitti iubent. (23) an quia gravius est verberari quam necari?
quid autem acerbum aut nimis grave est in homines tanti facinoris
360 convictos? (24) sin quia levius est, qui convenit in minore negotio legem
timere, cum eam in maiore neglegeris?

(25) At enim quis reprehendet quod in parricidas rei publicae
decretum erit? tempus dies fortuna, cuius lubido gentibus moderatur.
(26) illis merito adcidet quicquid evenerit; ceterum vos, patres
365 conscripti, quid in alios statuatis, considerate. (27) omnia mala
exempla ex rebus bonis orta sunt. sed ubi imperium ad ignaros eius aut
minus bonos pervenit, novom illud exemplum ab dignis et idoneis ad
indignos et non idoneos transfertur. (28) Lacedaemonii devictis
Atheniensibus triginta viros inposuere, qui rem publicam eorum
370 tractarent. (29) ii primo coepere pessimum quemque et omnibus
invisum indemnatum necare: (30) ea populus laetari et merito dicere

fieri. post ubi paulatim licentia crevit, iuxta bonos et malos lubricose
interficere, ceteros metu terrere: (31) ita civitas servitute oppressa
375 stultae laetitiae gravis poenas dedit. (32) nostra memoria victor Sulla
cum Damasippum et alios eius modi, qui malo rei publicae creverant,
iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? homines scelestos et
factiosos, qui seditionibus rem publicam exagitaverant, merito necatos
aiebant. sed ea res magnae initium cladis fuit. (33) nam uti quisque
380 domum aut villam, postremo vas aut vestimentum alicuius
concupiverat, dabat operam, uti is in proscriptorum numero esset.
(34) ita illi, quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, paulo post ipsi
trahebantur, neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos
divitiis explevit. (35) atque haec ego non in M. Tullio neque his
385 temporibus vereor, sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt.
(36) potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit,
falsum aliquid pro vero credi: ubi hoc exemplo per senatus decretum
consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet aut quis moderabitur?

(37) Maiores nostri, patres conscripti, neque consili neque audaciae
umquam eguere; neque illis superbia obstat. quo minus aliena instituta,
390 si modo proba erant, imitentur. (38) arma atque tela militaria ab
Samnitibus, insignia magistratum ab Tuscis pleraque sumpserunt.
postremo, quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum
summo studio domi exequabantur: imitari quam invidere bonis malebant.
(39) sed eodem illo tempore Graeciae morem imitati verberibus
395 animadvortebant in civis, de condemnatis summum supplicium
sumebant. (40) postquam res publica adolevit et multitudine civium
factiones valere, circumveniri innocentes, alia huiusce modi fieri
coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus
exilium damnatis permissum est. (41) hanc ego causam, patres conscripti,
400 quo minus novom consilium capiamus, in primis magnam puto.
(42) profecto virtus atque sapientia maior illis fuit, qui ex parvis opibus
tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus.

(43) Placet igitur eos dimitti et augeri exercitum Catilinae?
minime. sed ita censeo: publicandas eorum pecunias, ipsos in vinculis
405 habendos per municipia, quae maxime opibus valent; neu quis de iis
postea ad senatum referat neve cum populo agat; qui aliter fecerit,
senatum existumare eum contra rem publicam et salutem omnium
facturum».

(LII. 1) Postquam Caesar dicundi finem fecit, ceteri verbo alii alii
410 varie adsentiebantur. at M. Porcius Cato rogatus sententiam huiusce
modi orationem habuit:

(2) «Longe alia mihi mens est, patres conscripti, cum res atque pericula nostra considero, et cum sententias nonnullorum ipse mecum reputo. (3) illi mihi disseruisse videntur de poena eorum, qui patriae, parentibus, aris atque focus suis bellum paravere; res autem monet cavere ab illis magis quam quid in illos statuamus consultare. (4) nam cetera maleficia tum persequare, ubi facta sunt; hoc nisi provideris ne adcidat, ubi evenit, frustra iudicia inplores: (5) capta urbe nihil fit reliqui victis. sed, per deos immortalis, vos ego appello, qui semper domos, villas, signa, tabulas vostras pluris quam rem publicam fecistis: si ista, cuiuscumque modi sunt quae amplexamini, retinere, si voluptatibus vestris otium praebere voltis, expergiscimini aliquando et capessite rem publicam. (6) non agitur de vectigalibus neque de sociorum iniuriis: libertas et anima nostra in dubio est.

(7) Saepenumero, patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci, saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum, multosque mortalis ea causa advorsos habeo: (8) qui mihi atque animo meo nullius umquam delicti gratiam fecissem, haut facile alterius lubidini male facta condonabam. (9) sed ea tametsi vos parvi pendebatis, tamen res publica firma erat, opulentia neglegentiam tolerabat. (10) nunc vero non id agitur, bonisne an malis moribus vivamus, neque quantum aut quam magnificum imperium populi Romani sit, sed haec, cuiuscumque modi videntur, nostra an nobiscum una hostium futura sint. (11) hic mihi quisquam mansuetudinem et misericordiam nominat. iam pridem equidem nos vera vocabula rerum amisimus: quia bona aliena largiri liberalitas, malarum rerum audacia fortitudo vocatur, eo res publica in extremo sita est. (12) sint sane, quoniam ita se mores habent, liberales ex sociorum fortunis, sint misericordes in furibus aerari: ne illi sanguinem nostrum largiantur et, dum paucis sceleratis parcunt, bonos omnis perditum eant.

(13) Bene et composite C. Caesar paulo ante in hoc ordine de vita et morte disseruit, credo falsa existumans ea, quae de inferis memorantur: divorso itinere malos a bonis loca taetra, inculta, foeda atque formidulosa habere. (14) itaque censuit pecunias eorum publicandas, ipsos per municipia in custodiis habendos, videlicet timens, ne, si Romae sint, aut a popularibus coniurationis aut a multitudine conducta per vim eripiantur: (15) quasi vero mali atque scelesti tantummodo in urbe et non per totam Italiam sint, aut non ibi plus possit audacia, ubi ad defendendum opes minores sunt. (16) quare vanum equidem hoc consilium est, si periculum ex illis metuit; si in tanto omnium metu solus non timet, eo magis refert me mihi atque vobis timere. (17) qua

re cum de P. Lentulo ceterisque statuetis, pro certo habetote vos simul de exercitu Catilinae et de omnibus coniuratis decernere. (18) quanto vos adtentius ea agetis, tanto illis animus infirmior erit; si paulum
455 modo vos languere viderint, iam omnes feroces aderunt.

(19) Nolite existumare maiores nostros armis rem publicam ex parva magnam fecisse. (20) si ita esset, multo pulcherrumam eam nos haberemus: quippe sociorum atque civium, praeterea armorum atque equorum maior copia nobis quam illis est. (21) sed alia fuere, quae
460 illos magnos fecere, quae nobis nulla sunt: domi industria, foris iustum imperium, animus in consulendo liber, neque delicto neque lubrico obnoxius. (22) pro his nos habemus luxuriam atque avaritiam, publice egestatem, privatim opulentiam. laudamus divitias, sequimur inertiam. inter bonos et malos discrimen nullum, omnia virtutis praemia ambitio
465 possidet. (23) neque mirum: ubi vos separatim sibi quisque consilium capitis, ubi domi voluptatibus, hic pecuniae aut gratiae servitis, eo fit, ut impetus fiat in vacuam rem publicam.

(24) Sed ego haec omitto. coniuravere nobilissimi cives patriam incendere, Gallorum gentem infestissimam nomini Romano ad bellum
470 arcessunt, dux hostium cum exercitu supra caput est: (25) vos cunctamini etiam nunc et dubitatis, quid intra moenia deprensus hostibus faciatis? (26) misereamini censeo – deliquere homines adolescentuli per ambitionem – atque etiam armatos dimittatis: (27) ne ista vobis mansuetudo et misericordia, si illi arma ceperint, in miseriam convortat.
475 (28) scilicet res ipsa aspera est, sed vos non timetis eam. immo vero maxime. sed inertia et mollitia animi alius alium expectantes cunctamini, videlicet dis immortalibus confisi, qui hanc rem publicam saepe in maximis periculis servavere. (29) non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur; vigilando, agundo, bene
480 consulendo prospere omnia cedunt. ubi socordiae te atque ignaviae tradideris, nequiquam deos inploras: irati infestique sunt. (30) apud maiores nostros A. Manlius Torquatus bello Gallico filium suum, quod is contra imperium in hostem pugnaverit, necari iussit, (31) atque ille egregius adolescens immoderate fortitudinis morte poenas dedit; vos de
485 crudelissimis parricidis quid statuatis, cunctamini? videlicet cetera vita eorum huic scelere obstat. (32) verum parcite dignitati Lentuli, si ipse pudicitiae, si famae suae, si dis aut hominibus umquam ullis pepercit. (33) ignoscite Cethegi adolescentiae, nisi iterum patriae bellum fecit. (34) nam quid ego de Gabinio, Statilio, Caepario loquar? quibus si quicquam umquam pensi fuisset, non ea consilia de re publica
490 habuissent. (35) postremo, patres conscripti, si mehercule peccato locus

esset, facile paterer vos ipsa re conrigi, quoniam verba contemnitis. sed undique circumventi sumus. Catilina cum exercitu faucibus urget; alii intra moenia atque in sinu urbis sunt hostes; neque parari neque consuli quicquam potest occulte: quo magis properandum est.

495

(36) Quare ego ita censeo, cum nefario consilio sceleratorum civium res publica in summa pericula venerit, iique indicio T. Volturci et legatorum Allobrogum convicti confessique sint caedem, incendia aliaque se foeda atque crudelia facinora in civis patriamque paravisse, de confessis, sicuti de manifestis rerum capitalium, more maiorum supplicium sumundum».

500

(LIII. 1) Postquam Cato adsedit, consulares omnes itemque senatus magna pars sententiam eius laudant, virtutem animi ad caelum ferunt, alii alios increpantes timidos vocant. Cato clarus atque magnus habetur; senati decretum fit, sicuti ille censuerat.

505

(2) Sed mihi multa legenti, multa audienti, quae populus Romanus domi militiaeque, mari atque terra praeclara facinora fecit, forte lubuit atdendere, quae res maxume tanta negotia sustinisset. (3) sciebam saepenumero parva manu cum magnis legionibus hostium contendisse; cognoveram parvis copiis bella gesta cum opulentis regibus, ad hoc saepe fortunae violentiam toleravisse, facundia Graecos, gloria belli Gallos ante Romanos fuisse. (4) ac mihi multa agitati constabat paucorum civium egregiam virtutem cuncta patravisse, eoque factum, uti divitias paupertas, multitudinem paucitas superaret. (5) sed postquam luxu atque desidia civitas conrupta est, rursus res publica magnitudine sui imperatorem atque magistratum vitia sustentabat ac, sicuti effeta <esset> partu, multis tempestatibus haud sane quisquam Romae virtute magnus fuit. (6) sed memoria mea ingenti virtute, divorsis moribus fuere viri duo, M. Cato et C. Caesar. quos quoniam res obtulerat, silentio praeterire non fuit consilium, quin utriusque naturam et mores, quantum ingenio possum, aperirem. (LIV. 1) igitur iis genus aetas eloquentia prope aequalia fuere, magnitudo animi par, item gloria, sed alia alii. (2) Caesar beneficiis ac munificentia magnus habebatur, integritate vitae Cato. ille mansuetudine et misericordia clarus factus, huic severitas dignitatem addiderat. (3) Caesar dando sublevando ignoscendo, Cato nihil largiundo gloriam adeptus est. in altero miseris perfugium erat, in altero malis perniciēs. illius facilitas, huius constantia laudabatur. (4) postremo Caesar in animum induxerat laborare, vigilare; negotiis amicorum intentus sua neglegere, nihil denegare quod dono dignum esset; sibi magnum imperium, exercitum, bellum novom exoptabat, ubi virtus enitescere posset. (5) at Catoni studium modestiae, decoris, sed

530

maxume severitatis erat; (6) non divitiis cum divite neque factione cum factioso, sed cum strenuo virtute, cum modesto pudore, cum innocente abstinentia certabat; esse quam videri bonus malebat: ita, quo minus petebat gloriam, eo magis illum adsequebatur.

535

(LV. 1) Postquam, ut dixi, senatus in Catonis sententiam discessit, consul optimum factu ratus noctem quae instabat antecapere, ne quid eo spatio novaretur, tres viros quae [ad] supplicium postulabat parare iubet. (2) ipse praesidiis dispositis Lentulum in carcerem deducit; idem fit ceteris per praetores. (3) est in carcere locus, quod Tullianum appellatur, ubi paululum ascenderit ad laevam, circiter duodecim pedes humi depressus; (4) eum muniunt undique parietes atque insuper camera lapideis fornicibus iuncta; sed incultu tenebris odore foeda atque terribilis eius facies est. (5) in eum locum postquam demissus est Lentulus, vindices rerum capitalium, quibus praeceptum erat, laqueo gulam fregere. (6) ita ille patricius ex gente clarissima Corneliorum, qui consulare imperium Romae habuerat, dignum moribus factisque suis exitum vitae invenit. de Cethego, Statilio, Gabinio, Caepario eodem modo supplicium sumptum est. <...>

540

545

PUBLIUS VERGILIUS MARO

Публий Вергилий Марон (70–19 гг. до н. э.) – знаменитый римский поэт. Родился под Мантуей, образование получал в Милане, затем в Риме. После конфискации родовой усадьбы в ходе гражданской войны он перебрался в Рим, где вскоре вошел в литературный кружок Гая Цильния Мецената. Одной из первых работ Вергилия считаются «Эклоги» («Буколики») – пасторальные поэмы, образцом для которых послужили произведения Феокрита. Затем появились «Георгики», прославляющие мирный крестьянский труд. Вершиной римской классической поэзии является героический эпос «Энеида», воспевающий великую историческую миссию Рима. Хотя данное произведение не было закончено, оно принесло Вергилию славу величайшего поэта древнего мира. Большой интерес к его творчеству проявлял Октавиан Август. В 19 г. до н. э., возвращаясь из путешествия в Грецию, поэт умер. Начиная с эпохи Ренессанса Вергилий оказывал наибольшее влияние на всех представителей эпической литературы. Французский живописец Н. Пуссен справедливо изобразил поэта коронуемым Аполлоном на титульном листе Королевского Вергилия (1641 г.).

BUCOLICA*

ECLOGA I

MELIBOEUS

- 1 Tityre, tu patulae recubans sub tegmine fagi
 silvestrem tenui Musam meditaris avena;
 nos patriae finis et dulcia linquimus arva.
 nos patriam fugimus; tu, Tityre, lentus in umbra
5 formosam resonare doces Amaryllida silvas.

TITYRUS

o Meliboee, deus nobis haec otia fecit.
namque erit ille mihi semper deus, illius aram
saepe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.
ille meas errare boves, ut cernis, et ipsum

* Эклоги приводятся по изданию: P. Vergili Maronis Opera / ed. R. A. B. Mynors. Oxford, 1972.

10 ludere quae vellem calamo permisit agresti.
M. non equidem invideo, miror magis: undique totis
usque adeo turbatur agris. en ipse capellas
protinus aeger ago; hanc etiam vix, Tityre, duco.
15 hic inter densas corylos modo namque gemellos,
spem gregis, a! silice in nuda conixa reliquit.
saepe malum hoc nobis, si mens non laeva fuisset,
de caelo tactas memini praedicere quercus.
sed tamen iste deus qui sit, da, Tityre, nobis.

T. urbem quam dicunt Romam, Meliboeae, putavi
20 stultus ego huic nostrae similem, quo saepe solemus
pastores ovium teneros depellere fetus.
sic canibus catulos similis, sic matribus haedos
noram, sic parvis componere magna solebam.
verum haec tantum alias inter caput extulit urbes
25 quantum lenta solent inter viburna cupressi.
M. et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?
T. libertas, quae sera tamen respexit inertem,
candidior postquam tondenti barba cadebat,
respexit tamen et longo post tempore venit,
30 postquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
namque (fatebor enim) dum me Galatea tenebat,
nec spes libertatis erat nec cura peculi.
quamvis multa meis exiret victima saeptis,
pinguis et ingratae premeretur caseus urbi,
35 non umquam gravis aere domum mihi dextra redibat.

M. mirabar quid maesta deos, Amarylli, vocares,
cui pendere sua patereris in arbore poma;
Tityrus hinc aberat. ipsae te, Tityre, pinus,
ipsi te fontes, ipsa haec arbusta vocabant.

T. 40 quid facerem? neque servitio me exire licebat
nec tam praesentis alibi cognoscere divos.
hic illum vidi iuvenem, Meliboeae, quotannis
bis senos cui nostra dies altaria fumant.
hic mihi responsum primus dedit ille petenti:
45 «pascite ut ante boves, pueri; summittite tauros».

M. fortunate senex, ergo tua rura manebunt
et tibi magna satis, quamvis lapis omnia nudus
limosoque palus obducat pascua iunco:
non insueta gravis temptabunt pabula fetas,

50 nec mala vicini pecoris contagia laedent.
 fortunate senex, hic inter flumina nota
 et fontis sacros frigus captabis opacum;
 hinc tibi, quae semper, vicino ab limite saepes
 Hyblaeis apibus florem depasta salicti
 55 saepe levi somnum suadebit inire susurro;
 hinc alta sub rupe canet frondator ad auras,
 nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes
 nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.
 T. ante leves ergo pascentur in aethere cervi
 60 et freta destituent nudos in litore piscis,
 ante pererratis amborum finibus exsul
 aut Ararim Parthus bibet aut Germania Tigrim,
 quam nostro illius labatur pectore vultus.
 M. at nos hinc alii sitientis ibimus Afros,
 65 pars Scythiam et rapidum cretae veniemus Oaxen
 et penitus toto divisos orbe Britannos.
 en umquam patrios longo post tempore finis
 pauperis et tuguri congestum caespite culmen,
 post aliquot, mea regna, videns mirabor aristas?
 70 impius haec tam culta novalia miles habebit,
 barbarus has segetes. en quo discordia civis
 produxit miseros: his nos consevimus agros!
 insere nunc, Meliboee, piros, pone ordine vitis.
 ite meae, felix quondam pecus, ite capellae.
 75 non ego vos posthac viridi proiectus in antro
 dumosa pendere procul de rupe videbo;
 carmina nulla canam; non me pascente, capellae,
 florentem cytisum et salices carpetis amaras.
 T. hic tamen hanc mecum poteras requiescere noctem
 80 fronde super viridi: sunt nobis mitia poma,
 castanae molles et pressi copia lactis,
 et iam summa procul villarum culmina fumant
 maioresque cadunt altis de montibus umbrae.

ECLOGA IV

1 Sicelides Musae, paulo maiora canamus!
 non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
 si canimus silvas, silvae sint consule dignae.
 Ultima Cumaeci venit iam carminis aetas;

5 magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.
iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna,
iam nova progenies caelo demittitur alto.
tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
desinet ac toto surget gens aurea mundo,
10 casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.
teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,
Pollio, et incipient magni procedere menses;
te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
inrita perpetua solvent formidine terras.
15 ille deum vitam accipiet divisque videbit
permixtos heroas et ipse videbitur illis,
pacatumque reget patriis virtutibus orbem.

 At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
errantis hederas passim cum baccare tellus
20 mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
ipsae lacte domum referent distenta capellae
ubera, nec magnos metuent armenta leones;
ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
occidet et serpens, et fallax herba veneni
25 occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.
at simul heroum laudes et facta parentis
iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,
molli paulatim flavescet campus arista
incultisque rubens pendebit sentibus uva
30 et durae quercus sudabunt roscida mella.
pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris
oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo
35 delectos heroas; erunt etiam altera bella
atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus
mutabit merces; omnis feret omnia tellus.
40 non rastros patietur humus, non vinea falcem;
robustus quoque iam tauris iuga solvet arator.
nec varios discet mentiri lana colores,
ipse sed in pratis aries iam suave rubenti
murice, iam croceo mutabit vellera luto;

- 45 sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.
 «Talia saecla, – suis dixerunt, – currite» fuis
 concordes stabili fatorum numine Parcae.
 adgredere o magnos (aderit iam tempus) honores,
 cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
- 50 aspice convexo nutantem pondere mundum,
 terrasque tractusque maris caelumque profundum;
 aspice, venturo laetentur ut omnia saeclo!
 o mihi tum longae maneat pars ultima vitae,
 spiritus et quantum sat erit tua dicere facta!
- 55 non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus
 nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
 Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
 Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
 Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
- 60 Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem
 (matri longa decem tulerunt fastidia menses)
 incipere, parve puer: qui non risere parenti,
 nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.

GEORGICA*

LIBER SECUNDUS

- 136 <...> Sed neque Medorum silvae, ditissima terra,
 nec pulcher Ganges atque auro turbidus Hermus
 laudibus Italiae certent, non Bactra neque Indi
 totaque turiferis Panchaia pinguis harenis.
- 140 haec loca non tauri spirantes naribus ignem
 invertere satis immanis dentibus hydri,
 nec galeis densusque virum seges horruit hastis;
 sed gravidae fruges et Bacchi Massicus umor
 implevere; tenent oleae armentaque laeta.
- 145 hinc bellator equus campo sese arduus infert,
 hinc albi, Clitumne, greges et maxima taurus
 victima, saepe tuo perfusi flumine sacro,
 Romanos ad templa deum duxere triumphos.
 hic ver adsiduum atque alienis mensibus aestas:

* Фрагмент «Георгик» приводится по изданию: P. Vergili Maronis Opera / ed. R. A. B. Mynors. Oxford, 1972.

150 bis gravidae pecudes, bis pomis utilis arbos.
 at rabidae tigres absunt et saeva leonum
 semina, nec miseros fallunt aconita legentis,
 nec rapit immensos orbis per humum neque tanto
 squameus in spiram tractu se colligit anguis.
 155 adde tot egregias urbes operumque laborem,
 tot congesta manu praeruptis oppida saxis
 fluminaque antiquos subter labentia muros.
 an mare quod supra memorem, quodque adluit infra?
 ane lacus tantos? te, Lari maxime, teque,
 160 fluctibus et fremitu adsurgens Benace marino?
 an memorem portus Lucrinoque addita claustra
 atque indignatum magnis stridoribus aequor,
 Iulia qua ponto longe sonat unda refuso
 Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis?
 165 haec eadem argenti rivos aerisque metalla
 ostendit venis atque auro plurima fluxit.
 haec genus acre virum, Marsos pubemque Sabellam
 adsuetumque malo Ligurem Volscosque verutos
 extulit, haec Decios Marios magnosque Camillos,
 170 Scipiadas duros bello et te, maxime Caesar,
 qui nunc extremis Asiae iam victor in oris
 imbellem avertis Romanis arcibus Indum.
 salve, magna parens frugum, Saturnia tellus,
 magna virum: tibi res antiquae laudis et artem
 175 ingredior sanctos ausus recludere fontis,
 Ascraeumque cano Romana per oppida carmen. <...>

AENEIS*

LIBER PRIMUS

1 Arma virumque cano, Troiae qui primus ab oris
 Italiam, fato profugus, Laviniaque venit
 litora, multum ille et terris iactatus et alto
 vi superum saevae memorem Iunonis ob iram;

* Фрагменты «Энеиды» приводятся по изданию: Vergil. *Bucolics, Aeneid, and Georgics* / ed. J. B. Greenough. Boston, 1900.

5 multa quoque et bello passus, dum conderet urbem,
inferretque deos Latio, genus unde Latinum,
Albanique patres, atque altae moenia Romae.
Musa, mihi causas memora, quo numine laeso,
quidve dolens, regina deum tot volvere casus
10 insignem pietate virum, tot adire labores
impulerit. tantaene animis caelestibus irae? <...>

LIBER SECUNDUS

1 Conticuere omnes, intentique ora tenebant.
inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto:
infandum, regina, iubes renovare dolorem,
Troianas ut opes et lamentabile regnum
5 eruerint Danaï; quaeque ipse miserrima vidi,
et quorum pars magna fui. quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve aut duri miles Ulixi
temperet a lacrimis? et iam nox umida caelo
praecipitat, suadentque cadentia sidera somnos.
10 sed si tantus amor casus cognoscere nostros
et breviter Troiae supremum audire laborem,
quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,
incipiam.

Fracti bello fatisque repulsi
ductores Danaum, tot iam labentibus annis,
15 instar montis equum divina Palladis arte
aedificant, sectaque intexunt abiete costas:
votum pro reditu simulant; ea fama vagatur.
huc delecta virum sortiti corpora furtim
includunt caeco lateri, penitusque cavernas
20 ingentis uterumque armato milite complent.

Est in conspectu Tenedos, notissima fama
insula, dives opum, Priami dum regna manebant,
nunc tantum sinus et statio male fida carinis:
huc se provecti deserto in litore condunt.
25 nos abiisse rati et vento petiisse Mycenae:
ergo omnis longo solvit se Teucra luctu;
panduntur portae; iuvat ire et Dorica castra
desertosque videre locos litusque relictum.
hic Dolopum manus, hic saevus tendebat Achilles;

30 classibus hic locus; hic acie certare solebant.
 pars stupet innuptae donum exitiale Minervae,
 et molem mirantur equi; primusque Thymoetes
 duci intra muros hortatur et arce locari,
 sive dolo, seu iam Troiae sic fata ferebant.
 35 at Capys, et quorum melior sententia menti,
 aut pelago Danaum insidias suspectaque dona
 praecipitare iubent, subiectisque urere flammis,
 aut terebrare cavas uteri et temptare latebras.
 scinditur incertum studia in contraria volgus.
 40 Primus ibi ante omnis, magna comitante caterva,
 Laocoon ardens summa decurrit ab arce,
 et procul: «o miseri, quae tanta insania, cives?
 creditis avectos hostis? aut ulla putatis
 dona carere dolis Danaum? sic notus Ulixes?
 45 aut hoc inclusi ligno occultantur Achivi,
 aut haec in nostros fabricata est machina muros
 inspectura domos venturaque desuper urbi,
 aut aliquis latet error; equo ne credite, Teucri.
 quicquid id est, timeo Danaos et dona ferentis».
 50 sic fatus, validis ingentem viribus hastam
 in latus inque feri curvam compagibus alvum
 contorsit: stetit illa tremens, uteroque recusso
 insonuere cavae gemitumque dedere cavernae.
 et, si fata deum, si mens non laeva fuisset,
 55 impulerat ferro Argolicas foedare latebras,
 Troiaque, nunc stares, Priamique arx alta, maneres.
 Ecce, manus iuvenem interea post terga revinctum
 pastores magno ad regem clamore trahebant
 Dardanidae, qui se ignotum venientibus ultro,
 60 hoc ipsum ut strueret Troiamque aperiret Achivis,
 obtulerat, fidens animi atque in utrumque paratus,
 seu versare dolos, seu certae occumbere morti.
 undique visendi studio Troiana iuventus
 circumfusa ruit, certantque inludere capto.
 65 accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno
 disce omnes.
 namque ut conspectu in medio turbatus, inermis
 constitit atque oculis Phrygia agmina circumspexit:
 «heu, quae nunc tellus, – inquit, – quae me aequora possunt

70 accipere? aut quid iam misero mihi denique restat,
 cui neque apud Danaos usquam locus, et super ipsi
 Dardanidae infensi poenas cum sanguine poscunt?»
 quo gemitu conversi animi, compressus et omnis
 impetus. hortamur fari; quo sanguine cretus,
 75 quidve ferat, memoret, quae sit fiducia capto.
 ille haec, deposita tandem formidine, fatur:
 «Cuncta equidem tibi, Rex, fuerit quodcumque, fatebor
 vera, inquit; neque me Argolica de gente negabo:
 hoc primum; nec, si miserum Fortuna Sinonem
 80 finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
 fando aliquod si forte tuas pervenit ad auras
 Belidae nomen Palamedis et incluta fama
 gloria, quem falsa sub proditione Pelasgi
 insontem infando indicio, quia bella vetabat,
 85 demisere neci, nunc cassum lumine lugent.
 illi me comitem et consanguinitate propinquum
 pauper in arma pater primis huc misit ab annis,
 dum stabat regno incolumis regumque vigeat
 consiliis, et nos aliquod nomenque decusque
 90 gessimus. invidia postquam pellacis Ulixi –
 haud ignota loquor – superis concessit ab oris,
 adflictus vitam in tenebris luctuque trahebam,
 et casum insontis mecum indignabar amici.
 nec tacui demens, et me, fors si qua tulisset,
 95 si patrios umquam remeassem victor ad Argos,
 promisi ultorem, et verbis odia aspera movi.
 hinc mihi prima mali labes, hinc semper Ulixes
 criminibus terrere novis, hinc spargere voces
 in volgum ambiguas, et quaerere conscius arma.
 100 nec requievit enim, donec, Calchante ministro –
 sed quid ego haec autem nequiquam ingrata revolve?
 quidve moror, si omnis uno ordine habetis Achivos,
 idque audire sat est? iamdudum sumite poenas,
 hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae».

105 Tum vero ardemus scitari et quaerere causas,
 ignari scelerum tantorum artisque Pelasgae.
 prosequitur pavitans, et ficto pectore fatur:
 «saepe fugam Danaï Troia cupiere relicta
 moliri, et longo fessi discedere bello;

110 fecissentque utinam! saepe illos aspera ponti
 interclusit hiemps, et terruit Auster euntis.
 praecipue, cum iam hic trabibus contextus acernis
 staret equus, toto sonuerunt aethere nimbi.
 suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi
 115 mittimus, isque adytis haec tristia dicta reportat:
 „sanguine placastis ventos et virgine caesa,
 cum primum Iliacas, Danaï, venistis ad oras;
 sanguine quaerendi reditus, animaque litandum
 Argolica“. volgi quae vox ut venit ad auris,
 120 obstipuerunt animi, gelidusque per ima cucurrit
 ossa tremor, cui fata parent, quem poscat Apollo.
 hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
 protrahit in medios; quae sint ea numina divom,
 flagitat; et mihi iam multi crudele canebant
 125 artificis scelus, et taciti ventura videbant.
 bis quinos silet ille dies, tectusque recusat
 prodere voce sua quemquam aut opponere morti.
 vix tandem, magnis Ithaci clamoribus actus,
 composito rumpit vocem, et me destinat arae.
 130 adsensere omnes, et, quae sibi quisque timebat,
 unius in miseri exitium conversa tulere.
 iamque dies infanda aderat; mihi sacra parari,
 et salsae fruges, et circum tempora vittae:
 eripui, fateor, leto me, et vincula rupi,
 135 limosoque lacu per noctem obscurus in ulva
 delitui, dum vela darent, si forte dedissent.
 nec mihi iam patriam antiquam spes ulla videndi,
 nec dulcis natos exoptatumque parentem;
 quos illi fors et poenas ob nostra reposcent
 140 effugia, et culpam hanc miserorum morte piabunt.
 quod te per superos et conscia numina veri,
 per si qua est quae restet adhuc mortalibus usquam
 intemerata fides, oro, miserere laborum
 tantorum, miserere animi non digna ferentis».

145 His lacrimis vitam damus, et miserescimus ultro.
 ipse viro primus manicas atque arta levari
 vincla iubet Priamus, dictisque ita fatur amicis:
 «quisquis es, amissos hinc iam obliviscere Graios;
 noster eris, mihi que haec edissere vera roganti:

150 quo molem hanc immanis equi statuere? quis auctor?
 quidve petunt? quae religio, aut quae machina belli?»
 dixerat. ille, dolis instructus et arte Pelasga,
 sustulit exutas vinclis ad sidera palmas:
 «vos, aeterni ignes, et non violabile vestrum
 155 testor numen, – ait, – vos arae ensesque nefandi,
 quos fugi, vittaeque deum, quas hostia gessi:
 fas mihi Graiorum sacrata resolvere iura,
 fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
 si qua tegunt; teneor patriae nec legibus ullis.
 160 tu modo promissis maneat, servataque serves
 Troia fidem, si vera feram, si magna rependam.
 omnis spes Danaum et coepti fiducia belli
 Palladis auxiliis semper stetit. impius ex quo
 Tydides sed enim scelerumque inventor Ulixes,
 165 fatale adgressi sacrato avellere templo
 Palladium, caesis summae custodibus arcis,
 corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
 virgineas ausi divae contingere vittas;
 ex illo fluere ac retro sublapsa referri
 170 spes Danaum, fractae vires, aversa deae mens.
 nec dubiis ea signa dedit Tritonia monstris.
 vix positum castris simulacrum, arsere coruscae
 luminibus flammae arrectis, salsusque per artus
 sudor iit, terque ipsa solo – mirabile dictu –
 175 emicuit, parmamque ferens hastamque trementem.
 extemplo temptanda fuga canit aequora Calchas,
 nec posse Argolicis excindi Pergama telis,
 omina ni repetant Argis, numenque reducant,
 quod pelago et curvis secum avexere carinis.
 180 et nunc, quod patrias vento petiere Mycenae,
 arma deosque parant comites, pelagoque remenso
 improvisi aderunt: ita digerit omina Calchas.
 hanc pro Palladio moniti, pro numine laeso
 effigiem statuere, nefas quae triste piaret.
 185 hanc tamen immensam Calchas attollere molem
 roboribus textis caeloque educere iussit,
 ne recipi portis, aut duci in moenia possit,
 neu populum antiqua sub religione tueri.
 nam si vestra manus violasset dona Minervae,

190 tum magnum exitium (quod di prius omen in ipsum
 convertant!) Priami imperio Phrygibusque futurum;
 sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem,
 ultro Asiam magno Pelopea ad moenia bello
 venturam, et nostros ea fata manere nepotes».

195 Talibus insidiis periurique arte Sinonis
 credita res, captique dolis lacrimisque coactis,
 quos neque Tydides, nec Larisaeus Achilles,
 non anni domuere decem, non mille carinae.

Hic aliud maius miseris multoque tremendum
 200 obicitur magis, atque improvida pectora turbat.
 Laocoon, ductus Neptuno sorte sacerdos,
 sollemnis taurum ingentem mactabat ad aras.
 ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta –
 horresco referens – immensis orbibus angues
 205 incumbunt pelago, pariterque ad litora tendunt;
 pectora quorum inter fluctus arrecta iubaeque
 sanguineae superant undas; pars cetera pontum
 pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
 fit sonitus spumante salo; iamque arva tenebant,
 210 ardentisque oculos suffecti sanguine et igni,
 sibila lambebant linguis vibrantibus ora.
 diffugimus visu exsanguis: illi agmine certo
 Laocoonta petunt; et primum parva duorum
 corpora natorum serpens amplexus uterque
 215 implicat, et miseros morsu depascitur artus;
 post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem
 corripunt, spirisque ligant ingentibus; et iam
 bis medium amplexi, bis collo squamea circum
 terga dati, superant capite et cervicibus altis.
 220 ille simul manibus tendit divellere nodos,
 perfusus sanie vittas atroque veneno,
 clamores simul horrendos ad sidera tollit:
 quales mugitus, fugit cum saucius aram
 taurus, et incertam excussit cervice securim.
 225 at gemini lapsu delubra ad summa dracones
 effugiunt saevaeque petunt Tritonidis arcem,
 sub pedibusque deae clipeique sub orbe teguntur.
 tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
 insinuat pavor, et scelus expendisse merentem

230 Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
 laeserit, et tergo sceleratam intors'erit hastam.
 ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae
 numina conclamant.
 dividimus muros et moenia pandimus urbis.
 235 accingunt omnes operi, pedibusque rotarum
 subiciunt lapsus, et stuppea vincula collo
 intendunt: scandit fatalis machina muros,
 feta armis. pueri circum innuptaeque puellae
 sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.
 240 illa subit, mediaeque minans inlabitur urbi.
 o patria, o divom domus Ilium, et incluta bello
 moenia Dardanidum, quater ipso in limine portae
 substitit, atque utero sonitum quater arma dedere:
 instamus tamen inmemores caecique furore,
 245 et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
 tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
 ora, dei iussu non umquam credita Teucris.
 nos delubra deum miseri, quibus ultimus esset
 ille dies, festa velamus fronde per urbem.
 250 Vertitur interea caelum et ruit oceano nox,
 involvens umbra magna terramque polumque
 Myrmidonumque dolos; fusi per moenia Teucri
 conticuere, sopor fessos complectitur artus:
 et iam Argiva phalanx instructis navibus ibat
 255 a Tenedo tacitae per amica silentia lunae
 litora nota petens, flammis cum regia puppis
 extulerat, fatisque deum defensus iniquis
 inclusos utero Danaos et pinea furtim
 laxat claustra Sinon. illos patefactus ad auras
 260 reddit equus, laetique cavo se robore promunt
 Thessandrus Sthenelusque duces, et dirus Ulixes,
 demissum lapsi per funem, Acamasque, Thoasque,
 Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
 et Menelaus, et ipse doli fabricator Epeos.
 265 invadunt urbem somno vinoque sepultam;
 caeduntur vigiles, portisque patentibus omnis
 accipiunt socios atque agmina conscia iungunt.
 Tempus erat, quo prima quies mortalibus aegris
 incipit, et dono divom gratissima serpit.

270 in somnis, ecce, ante oculos maestissimus Hector
 visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
 raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
 pulvere, perque pedes traiectus lora tumentis.
 ei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
 275 Hectore, qui redit exuvias indutus Achilli,
 vel Danaum Phrygios iaculatus puppibus ignis,
 squalentem barbam et concretos sanguine crinis
 volneraque illa gerens, quae circum plurima muros
 accepit patrios. ultro flens ipse videbar
 280 compellare virum et maestas expromere voces:
 «o lux Dardaniae, spes o fidissima Teucrum,
 quae tantae tenuere morae? quibus Hector ab oris
 exspectate venis? ut te post multa tuorum
 funera, post varios hominumque urbisque labores
 285 defessi aspicimus! quae causa indigna serenos
 foedavit voltus? aut cur haec volnera cerno?»
 ille nihil, nec me quaerentem vana moratur,
 sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
 «heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
 290 hostis habet muros; ruit alto a culmine Troia.
 sat patriae Priamoque datum: si Pergama dextra
 defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
 sacra suosque tibi commendat Troia penatis:
 hos cape fatorum comites, his moenia quaere
 295 magna, pererrato statues quae denique ponto».

sic ait, et manibus vittas Vestamque potentem
 aeternumque adytis effert penetralibus ignem.
 Diverso interea miscentur moenia luctu,
 et magis atque magis, quamquam secreta parentis
 300 Anchisae domus arboribusque obtecta recessit,
 clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
 excutior somno, et summi fastigia tecti
 ascensu supero, atque arrectis auribus adsto:
 in segetem veluti cum flamma furentibus austris
 305 incidit, aut rapidus montano flumine torrens
 sternit agros, sternit sata laeta boumque labores,
 praecipitisque trahit silvas, stupet inscius alto
 accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
 tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt

310 insidiae. iam Deiphobi dedit ampla ruinam
 Volcano superante domus; iam proxumus ardet
 Ucalegon; Sigea igni freta lata relucent.
 exoritur clamorque virum clangorque tubarum.
 arma amens capio; nec sat rationis in armis,
 315 sed glomerare manum bello et concurrere in arcem
 cum sociis ardent animi; furor iraque mentem
 praecipitant, pulchrumque mori succurrit in armis.
 Ecce autem telis Panthus elapsus Achivom,
 Panthus Othryades, arcis Phoebique sacerdos,
 320 sacra manu victosque deos parvumque nepotem
 ipse trahit, cursuque amens ad limina tendit.
 «quo res summa, loco, Panthu? quam prendimus arcem?»
 vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
 «venit summa dies et ineluctabile tempus
 325 Dardaniae: fuimus Troes, fuit Ilium et ingens
 gloria Teucrorum; feros omnia Iuppiter Argos
 transtulit; incensa Danai dominantur in urbe.
 arduus armatos mediis in moenibus adstans
 fundit equus, victorque Sinon incendia miscet
 330 insultans; portis alii bipotentibus adsunt,
 milia quot magnis umquam venere Mycenis;
 obsedere alii telis angusta viarum
 oppositi; stat ferri acies mucrone corusco
 stricta, parata neci; vix primi proelia temptant
 335 portarum vigiles, et caeco Marte resistunt».
 talibus Othryadae dictis et numine divom
 in flammis et in arma feror, quo tristis Erinys,
 quo fremitus vocat et sublatus ad aethera clamor.
 addunt se socios Rhipeus et maximus armis
 340 Epytus oblatus per lunam Hypanisque Dymasque,
 et lateri adglomerant nostro, iuvenisque Coroebus,
 Mygdonides: illis ad Troiam forte diebus
 venerat, insano Cassandrae incensus amore,
 et gener auxilium Priamo Phrygibusque ferebat,
 345 infelix, qui non sponsae praecepta furentis
 audierit.
 quos ubi confertos audere in proelia vidi,
 incipio super his: «iuvenes, fortissima frustra
 pectora, si vobis audentem extrema cupido

350 certa sequi, quae sit rebus fortuna videtis:
 excessere omnes, adytis arisque relictis,
 di, quibus imperium hoc steterat; succurritis urbi
 incensae; moriamur et in media arma ruamus.
 una salus victis, nullam sperare salutem».

355 sic animis iuvenum furor additus: inde, lupi ceu
 raptores atra in nebula, quos improba ventris
 exegit caecos rabies, catulique relictis
 faucibus exspectant siccis, per tela, per hostis
 vadimus haud dubiam in mortem, mediaeque tenemus

360 urbis iter; nox atra cava circumvolat umbra.
 quis cladem illius noctis, quis funera fando
 explicet, aut possit lacrimis aequare labores?
 urbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
 plurima perque vias sternuntur inertia passim

365 corpora, perque domos et religiosa deorum
 limina. nec soli poenas dant sanguine Teucris;
 quondam etiam victis redit in praecordia virtus
 victoresque cadunt Danaï: crudelis ubique
 luctus, ubique pavor, et plurima mortis imago.

370 Primus se, Danaum magna comitante caterva,
 Androgeos offert nobis, socia agmina credens
 inscius, atque ultro verbis compellat amicis:
 «festinate, viri: nam quae tam sera moratur
 segnitias? alii rapiunt incensa feruntque

375 Pergama; vos celsis nunc primum a navibus itis».

dixit, et extemplo, neque enim responsa dabantur
 fida satis, sensit medios delapsus in hostis.
 obstipuit, retroque pedem cum voce repressit:
 inprovisum aspris veluti qui sentibus anguem
 pressit humi nitens, trepidusque repente refugit

380 attollentem iras et caerulea colla tumentem;
 haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
 inruimus, densis et circumfundimur armis,
 ignarosque loci passim et formidine captos

385 sternimus: adspirat primo fortuna labori.
 atque hic successu exsultans animisque Coroebus,
 «o socii, qua prima, – inquit, – fortuna salutis
 monstrat iter, quoque ostendit se dextra, sequamur
 mutemus clipeos, Danaumque insignia nobis

390 aptemus: dolus an virtus, quis in hoste requirat?
 arma dabunt ipsi». sic fatus, deinde comantem
 Androgei galeam clipeique insigne decorum
 induitur, laterique Argivum accommodat ensem.
 hoc Rhipeus, hoc ipse Dymas omnisque iuventus
 395 laeta facit; spoliis se quisque recentibus armat.
 vadimus immixti Danais haud numine nostro,
 multaque per caecam congressi proelia noctem
 conserimus, multos Danaum demittimus Orco.
 diffugiunt alii ad navis, et litora cursu
 400 fida petunt: pars ingentem formidine turpi
 scandunt rursus equum et nota conduntur in alvo.
 Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis!
 ecce trahebatur passis Priameia virgo
 crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae,
 405 ad caelum tendens ardentia lumina frustra, –
 lumina, nam teneras arcebant vincula palmas.
 non tulit hanc speciem furiata mente Coroebus,
 et sese medium iniecit periturus in agmen.
 consequimur cuncti et densis incurrimus armis.
 410 hic primum ex alto delubri culmine telis
 nostrorum obruimur, oriturque miserrima caedes
 armorum facie et Graiarum errore iubarum.
 tum Danaï gemitu atque ereptae virginis ira
 undique collecti invadunt, acerrimus Ajax,
 415 et gemini Atridae, Dolopumque exercitus omnis;
 adversi rupto ceu quondam turbine venti
 confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus Eois
 Eurus equis; stridunt silvae, saevitque tridenti
 spumeus atque imo Nereus ciet aequora fundo.
 420 illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
 fudimus insidiis totaque agitavimus urbe,
 apparent; primi clipeos mentitaque tela
 adgnosunt, atque ora sono discordia signant.
 ilicet obruimur numero; primusque Coroebus
 425 Penelei dextra divae armipotentis ad aram
 procumbit; cadit et Rhipeus, iustissimus unus
 qui fuit in Teucris et servantissimus aequi:
 dis aliter visum; pereunt Hypanisque Dymasque
 confixi a sociis; nec te tua plurima, Panthu,

430 labentem pietas nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres et flamma extrema meorum,
testor, in occasu vestro nec tela nec ulla
vitavisse vices Danaum, et, si fata fuissent
435 ut caderem, meruisse manu. divellimur inde,
Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus aevo
iam gravior, Pelias et volnere tardus Ulixi;
protinus ad sedes Priami clamore vocati.

Hic vero ingentem pugnam, ceu cetera nusquam
bella forent, nulli tota morerentur in urbe.
440 sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentis
cernimus, obsessumque acta testudine limen.
haerent parietibus scalae, postisque sub ipsos
nituntur gradibus, clipeosque ad tela sinistris
protecti obiciunt, prensant fastigia dextris.
445 Dardanidae contra turris ac tota domorum
culmina convellunt; his se, quando ultima cernunt,
extrema iam in morte parant defendere telis;
auratasque trabes, veterum decora alta parentum,
devolvunt; alii strictis mucronibus imas
450 obsedere fores; has servant agmine denso.
instaurati animi, regis succurrere tectis,
auxilioque levare viros, vimque addere victis.

Limen erat caecaeque fores et pervius usus
tectorum inter se Priami, postesque relictis
455 a tergo, infelix qua se, dum regna manebant,
saepius Andromache ferre incomitata solebat
ad soceros, et avo puerum Astyanacta trahebat.
evado ad summi fastigia culminis, unde
tela manu miseri iactabant inrita Teucris.
460 turrim in praecipiti stantem summisque sub astra
eductam tectis, unde omnis Troia videri
et Danaum solitae naves et Achaia castra,
adgressi ferro circum, qua summa labantis
iuncturas tabulata dabant, convellimus altis
465 sedibus, impulimusque; ea lapsa repente ruinam
cum sonitu trahit et Danaum super agmina late
incidit: ast alii subeunt, nec saxa, nec ullum
telorum interea cessat genus.

Vestibulum ante ipsum primoque in limine Pyrrhus

470 exsultat, telis et luce coruscus aëna;
 qualis ubi in lucem coluber mala gramina pastus
 frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
 nunc, positis novus exuviis nitidusque iuventa,
 lubrica convolvit sublato pectore terga
 475 arduus ad solem, et linguis micat ore trisulcis.
 una ingens Periphas et equorum agitator Achillis,
 armiger Automedon, una omnis Scyria pubes
 succedunt tecto, et flammam ad culmina iactant.
 ipse inter primos correpta dura bipenni
 480 limina perrumpit, postisque a cardine vellit
 aeratos; iamque excisa trabe firma cavavit
 robora, et ingentem lato dedit ore fenestram.
 adparet domus intus, et atria longa patescunt;
 adparent Priami et veterum penetralia regum,
 485 armatosque vident stantis in limine primo.
 at domus interior gemitu miseroque tumultu
 miscetur, penitusque cavae plangoribus aedes
 femineis ululant; ferit aurea sidera clamor.
 tum pavidae tectis matres ingentibus errant;
 490 amplexaeque tenent postis atque oscula figunt.
 instat vi patria Pyrrhus; nec claustra, neque ipsi
 custodes sufferre valent; labat ariete crebro
 ianua, et emoti procumbunt cardine postes.
 fit via vi; rumpunt aditus, primosque trucidant
 495 immissi Danaï, et late loca milite complent.
 non sic, aggeribus ruptis cum spumeus amnis
 exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
 fertur in arva furens cumulo, camposque per omnis
 cum stabulis armenta trahit. vidi ipse furentem
 500 caede Neoptolemum geminosque in limine Atridas;
 vidi Hecubam centumque nurus, Priamumque per aras
 sanguine foedantem, quos ipse sacraverat, ignis.
 quinquaginta illi thalami, spes tanta nepotum,
 barbarico postes auro spoliisque superbi,
 505 procubuerunt; tenent Danaï, qua deficit ignis.
 Forsitan et Priami fuerint quae fata requiras.
 urbis uti captae casum convolsaque vidit
 limina tectorum et medium in penetralibus hostem,
 arma diu senior desueta trementibus aevo

510 circumdat nequiquam umeris, et inutile ferrum
 cingitur, ac densos fertur moriturus in hostis.
 aedibus in mediis nudoque sub aetheris axe
 ingens ara fuit iuxtaque veterrima laurus,
 incumbens arae atque umbra complexa Penatis.
 515 hic Hecuba et natae nequiquam altaria circum,
 praecipites atra ceu tempestate columbae,
 condensae et divom amplexae simulacra sedebant.
 ipsum autem sumptis Priamum iuvenalibus armis
 ut vidit, «quae mens tam dira, miserrime coniunx,
 520 impulit his cingi telis? aut quo ruis? – inquit. –
 non tali auxilio nec defensoribus istis
 tempus eget, non, si ipse meus nunc adforet Hector.
 huc tandem concede; haec ara tuebitur omnis,
 aut moriere simul». sic ore effata recepit
 525 ad sese et sacra longaezum in sede locavit.
 Ecce autem elapsus Pyrrhi de caede Polites,
 unus natorum Priami, per tela, per hostis
 porticibus longis fugit, et vacua atria lustrat
 saucius: illum ardens infesto volnere Pyrrhus
 530 insequitur, iam iamque manu tenet et premit hasta.
 ut tandem ante oculos evasit et ora parentum,
 concidit, ac multo vitam cum sanguine fudit.
 hic Priamus, quamquam in media iam morte tenetur,
 non tamen abstinuit, nec voci iraeque pepercit:
 535 «at tibi pro scelere, – exclamat, – pro talibus ausis,
 di, si qua est caelo pietas, quae talia curet,
 persolvant grates dignas et praemia reddant
 debita, qui nati coram me cernere letum
 fecisti et patrios foedasti funere voltus.
 540 at non ille, satum quo te mentiris, Achilles
 talis in hoste fuit Priamo; sed iura fidemque
 supplicis erubuit, corpusque exsanguie sepulchro
 reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit».

545 sic fatus senior, telumque imbelles sine ictu
 coniecit, rauco quod protinus aere repulsum
 e summo clipei nequiquam umbone pependit.
 cui Pyrrhus: «referes ergo haec et nuntius ibis
 Pelidae genitori; illi mea tristia facta
 degeneremque Neoptoleum narrare memento.

550 nunc morere». hoc dicens altaria ad ipsa trementem
traxit et in multo lapsantem sanguine nati,
implicuitque comam laeva, dextraque coruscum
extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
haec finis Priami fatorum; hic exitus illum
555 sorte tulit, Troiam incensam et prolapsa videntem
Pergama, tot quondam populis terrisque superbum
regnatorem Asiae. iacet ingens litore truncus,
avolsumque umeris caput, et sine nomine corpus.

At me tum primum saevus circumstetit horror
560 obstipui; subiit cari genitoris imago,
ut regem aequaeuum crudeli volnere vidi
vitam exhalantem; subiit deserta Creūsa,
et directa domus, et parvi casus Iuli.
respicio, et quae sit me circum copia lustrō.
565 deseruere omnes defessi, et corpora saltu
ad terram misere aut ignibus aegra dedere.

Iamque adeo super unus eram, cum limina Vestae
servantem et tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem
570 erranti passimque oculos per cuncta ferenti.
illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros
et poenas Danaum et deserti coniugis iras
praemetuens, Troiae et patriae communis Erinys,
abdiderat sese atque aris invisā sedebat.
575 exarsere ignes animo; subit ira cadentem
ulcisci patriam et sceleratas sumere poenas.
«scilicet haec Spartam incolumis patriasque Mycenās
aspiciet, partoque ibit regina triumpho,
coniugiumque, domumque, patres, natosque videbit,
580 Iliadum turba et Phrygiis comitata ministris?
occiderit ferro Priamus, Troia arserit igni?
Dardanium totiens sudarit sanguine litus?
non ita: namque etsi nullum memorabile nomen
feminea in poena est, nec habet victoria laudem,
585 extinxisse nefas tamen et sumpsisse merentis
laudabor poenas, animumque explesse iuvabit
ultricris flammae, et cineres satiasset meorum».

Talia iactabam, et furiata mente ferebar:
cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam

590 obtulit et pura per noctem in luce refulsit
alma parens, confessa deam, qualisque videri
caelicolis et quanta solet, dextraque prehensum
continuit, roseoque haec insuper addidit ore:
595 «nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
quid furis, aut quonam nostri tibi cura recessit?
non prius aspicias, ubi fessum aetate parentem
liqueris Anchisen; superet coniunxne Creūsa,
Ascaniusque puer? quos omnes undique Graiae
600 circum errant acies, et, ni mea cura resistat,
iam flammae tulerint inimicus et hauserit ensis.
non tibi Tyndaridis facies invisae Lacaenae
culpatusve Paris: divom inclementia, divom,
has evertit opes sternitque a culmine Troiam.
aspice (namque omnem, quae nunc obducta tuenti
605 mortalis hebetat visus tibi et umida circum
caligat, nubem eripiam; tu ne qua parentis
iussa time, neu praeceptis parere recusa):
hic, ubi disiectas moles avolsaque saxis
saxa vides mixtoque undantem pulvere fumum.
610 Neptunus muros magnoque emota tridenti
fundamenta quatit, totamque a sedibus urbem
eruit; hic Iuno Scaeas saevissima portas
prima tenet, sociumque furens a navibus agmen
ferro accincta vocat.
615 iam summas arces Tritonia, respice, Pallas
insedit, nimbo effulgens et Gorgone saeva.
ipse pater Danais animos viresque secundas
sufficit, ipse deos in Dardana suscitatur arma.
eripe, nate, fugam, finemque impone labori.
620 nusquam abero, et tutum patrio te limine sistam».
dixerat, et spissis noctis se condidit umbris.
adparent dirae facies inimicae Troiae
numina magna deum.

Tum vero omne mihi visum considerare in ignis
625 Ilium et ex imo verti Neptunia Troia;
ac veluti summis antiquam in montibus ornum
cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant
erueret agricolae certatim, – illa usque minatur
et tremefacta comam concusso vertice nutat,

630 volneribus donec paulatim evicta, supremum
 congemuit, traxitque iugis avolsa ruinam.
 descendo, ac ducente deo flammam inter et hostis
 expedio; dant tela locum, flammaeque recedunt.
 Atque ubi iam patriae perventum ad limina sedis
 635 antiquasque domos, genitor, quem tollere in altos
 optabam primum montis primumque petebam,
 abnegat excisa vitam producere Troia
 exsiliumque pati. «vos o, quibus integer aevi
 sanguis, – ait, – solidaeque suo stant robore vires,
 640 vos agitate fugam:
 me si caelicolae voluissent ducere vitam,
 has mihi servassent sedes. satis una superque
 vidimus excidia et captae superavimus urbi.
 sic o sic positum adfati discedite corpus.
 645 ipse manu mortem inveniam; miserebitur hostis
 exuviasque petet; facilis iactura sepulcri.
 iam pridem invisus divis et inutilis annos
 demoror, ex quo me divom pater atque hominum rex
 fulminis adflavit ventis et contigit igni».

650 Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
 nos contra effusi lacrimis, coniunxque Creūsa
 Ascaniusque omnisque domus, ne vertere secum
 cuncta pater fatoque urgenti incumbere vellet.
 abnegat, inceptoque et sedibus haeret in isdem.
 655 rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto:
 nam quod consilium aut quae iam fortuna dabatur?
 «mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
 sperasti, tantumque nefas patrio excidit ore?
 si nihil ex tanta Superis placet urbe relinqui,
 660 et sedet hoc animo, perituraeque addere Troiae
 teque tuosque iuvat, patet isti ianua leto,
 iamque aderit multo Priami de sanguine Pyrrhus,
 natum ante ora patris, patrem qui obruncat ad aras.
 hoc erat, alma parens, quod me per tela, per ignis
 665 eripis, ut mediis hostem in penetralibus, utque
 Ascanium patremque meum iuxtaque Creūsam
 alterum in alterius mactatos sanguine cernam?
 arma, viri, ferte arma; vocat lux ultima victos.
 reddite me Danaï; sinite instaurata revisam

670 proelia. numquam omnes hodie moriemur inulti».

Hinc ferro accingor rursus clipeoque sinistram

insertabam aptans, meque extra tecta ferebam.

ecce autem complexa pedes in limine coniunx

haerebat, parvumque patri tendebat Iulum:

675 «si periturus abis, et nos rape in omnia tecum;

sin aliquam expertus sumptis spem ponis in armis,

hanc primum tutare domum. cui parvus Iulus,

cui pater et coniunx quondam tua dicta relinquitur?»

Talia vociferans gemitu tectum omne replebat,

680 cum subitum dictuque oritur mirabile monstrum.

namque manus inter maestorumque ora parentum

ecce levis summo de vertice visus Iuli

fundere lumen apex, tactuque innoxia mollis

lambere flamma comas et circum tempora pasci.

685 nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem

excutere et sanctos restinguere fontibus ignis.

at pater Anchises oculos ad sidera laetus

extulit, et caelo palmas cum voce tetendit:

«Iuppiter omnipotens, precibus si flecteris ullis,

690 aspice nos; hoc tantum, et, si pietate meremur,

da deinde auxilium, pater, atque haec omina firma».

Vix ea fatus erat senior, subitoque fragore

intonuit laevum, et de caelo lapsa per umbras

stella facem ducens multa cum luce cucurrit.

695 illam, summa super labentem culmina tecti,

cernimus Idaea claram se condere silva

signantemque vias; tum longo limite sulcus

dat lucem, et late circum loca sulphure fumant.

hic vero victus genitor se tollit ad auras,

700 adfaturque deos et sanctum sidus adorat.

«iam iam nulla mora est; sequor et qua ducitis adsum.

di patrii, servate domum, servate nepotem.

vestrum hoc augurium, vestroque in numine Troia est.

cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso».

705 dixerat ille; et iam per moenia clarior ignis

auditur, propiusque aestus incendia volvunt.

«ergo age, care pater, cervici imponere nostrae;

ipse subibo umeris, nec me labor iste gravabit:

quo res cumque cadent, unum et commune periculum,

710 una salus ambobus erit. mihi parvus Iulus
 sit comes, et longe servet vestigia coniunx:
 vos, famuli, quae dicam, animis advertite vestris.
 est urbe egressis tumulus templumque vetustum
 715 desertae Cereris, iuxtaque antiqua cupressus
 religione patrum multos servata per annos.
 hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
 tu, genitor, cape sacra manu patriosque Penatis;
 me, bello e tanto digressum et caede recenti,
 720 attractare nefas, donec me flumine vivo
 abluero».

haec fatus, latos umeros subiectaque colla
 veste super fulvique insternor pelle leonis,
 succedoque oneri; dextrae se parvus Iulus
 implicuit sequiturque patrem non passibus aequis;
 725 pone subit coniunx: ferimur per opaca locorum;
 et me, quem dudum non ulla iniecta movebant
 tela neque adverso glomerati ex agmine Grai,
 nunc omnes terrent aerae, sonus excitat omnis
 suspensum et pariter comitique onerique timentem.
 730 iamque propinquabam portis, omnemque videbar
 evasisse viam, subito cum creber ad auris
 visus adesse pedum sonitus, genitorque per umbram
 prospiciens; «nate, – exclamat, – fuge nate, propinquant.
 ardentis clipeos atque aera micantia cerno!»

735 hic mihi nescio quod trepido male numen amicum
 confusam eripuit mentem. namque avia cursu
 dum sequor, et nota excedo regione viarum,
 heu, misero coniunx fatone erepta Creūsa
 substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
 740 incertum; nec post oculis est reddita nostris.
 nec prius amissam respexi animumque reflexi,
 quam tumulum antiquae Cereris sedemque sacratam
 venimus; hic demum collectis omnibus una
 defuit, et comites natumque virumque fefellit.
 745 quem non incusavi amens hominumque deorumque,
 aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
 Ascanium Anchisenque patrem Teucrosque Penatis
 commendo sociis et curva valle recondo;
 ipse urbem repeto et cingor fulgentibus armis.

750 stat casus renovare omnis, omnemque reverti
 per Troiam, et rursus caput obiectare periclis.
 Principio muros obscuraque limina portae,
 qua gressum extuleram, repeto, et vestigia retro
 observata sequor per noctem et lumine lustro.
 755 horror ubique animo, simul ipsa silentia terrent.
 inde domum, si forte pedem, si forte tulisset,
 me refero: inruerant Danai, et tectum omne tenebant.
 ilicet ignis edax summa ad fastigia vento
 volvitur; exsuperant flammae, furit aestus ad auras.
 760 procedo et Priami sedes arcemque reviso.
 et iam porticibus vacuis Iunonis asylo
 custodes lecti Phoenix et dirus Ulixes
 praedam adservabant. huc undique Troia gaza
 incensis erepta adytis, mensaeque deorum,
 765 crateresque auro solidi, captivaque vestis
 congeritur; pueri et pavidae longo ordine matres
 stant circum.
 ausus quin etiam voces iactare per umbram
 implevi clamore vias, maestusque Creusam
 770 nequiquam ingeminans iterumque iterumque vocavi.
 quaerenti et tectis urbis sine fine furenti
 infelix simulacrum atque ipsius umbra Creusae
 visa mihi ante oculos et nota maior imago.
 obstipui, steteruntque comae et vox faucibus haesit.
 775 tum sic adfari et curas his demere dictis:
 «quid tantum insano iuvat indulgere dolori,
 o dulcis coniunx? non haec sine numine divom
 eveniunt; nec te hinc comitem asportare Creusam
 fas, aut ille sinit superi regnator Olympi.
 780 longa tibi exsilia, et vastum maris aequor arandum,
 et terram Hesperiam venies, ubi Lydius arva
 inter opima virum leni fluit agmine Thybris:
 illic res laetae regnumque et regia coniunx
 parta tibi. lacrimas dilectae pelle Creusae.
 785 non ego Myrmidonum sedes Dolopumve superbas
 aspiciam, aut Graiis servitum matribus ibo,
 Dardanis, et divae Veneris nurus.
 sed me magna deum genetrix his detinet oris:
 iamque vale, et nati serva communis amorem».

790 haec ubi dicta dedit, lacrimantem et multa volentem
dicere deseruit, tenuisque recessit in auras.
ter conatus ibi collo dare bracchia circum:
ter frustra comprehensa manus effugit imago,
par levibus ventis volucrique simillima somno.
795 sic demum socios consumpta nocte reviso.

Atque hic ingentem comitum adfluxisse novorum
invenio admirans numerum, matresque virosque,
collectam exsilio pubem, miserabile vulgus.
undique convenere, animis opibusque parati,
800 in quascumque velim pelago deducere terras.
iamque iugis summae surgebat Lucifer Idae
ducebatque diem, Danaïque obsessa tenebant
limina portarum, nec spes opis ulla dabatur;
cessi, et sublato montes genitore petivi.

QUINTUS HORATIUS FLACCUS

Квинт Гораций Флакк (65–8 гг. до н. э.) – римский поэт эпохи принципата Октавиана Августа. Родился в Апулии в семье вольноотпущенника. Получил прекрасное образование в Риме и Афинах. В 44 г. до н. э. во время гражданской войны примкнул к Марку Юнию Бруту. Сражаясь на стороне республиканцев, получил звание военного трибуна. После поражения Брута при Филиппах (42 г. до н. э.) Гораций вернулся в Рим, начал писать стихи. Сблизившись с Публием Вергилием Мароном, вступил в кружок Гая Цильния Мецената. До нашего времени дошли все известные произведения Горация: «Послания», «Эподы», «Сатиры», «Оды». Стихи свидетельствуют о наблюдательности, тонком чувстве юмора, терпимости автора. Как никто другой он ценит блага мирной жизни.

Большое влияние на творчество Горация оказали греческие поэты, особенно Алкей и Сапфо, что проявилось в метрическом многообразии его поэзии.

Произведения Горация отличаются особой утонченностью, образностью и выразительностью. Он является самым переводимым античным лириком в Европе.

SERMONES*

LIBER PRIMUS

SERMO I

- 1 Qui fit, Maecenas, ut nemo, quam sibi sortem
seu ratio dederit seu fors obiecerit, illa
contentus vivat, laudet diversa sequentis?
«o fortunati mercatores» gravis annis
5 miles ait, multo iam fractus membra labore;
contra mercator navim iactantibus Austris:
«militia est potior. quid enim? concurritur: horae
momento cita mors venit aut victoria laeta».
agricolam laudat iuris legumque peritus,

* Сатиры приводятся по изданию: Q. Horati Flacci Opera / ed. F. Klingner. Leipzig, 1959.

10 sub galli cantum consultor ubi ostia pulsat;
ille, datis vadibus qui rure extractus in urbem est,
solos felicitis viventis clamat in urbe.
cetera de genere hoc – adeo sunt multa – loquacem
delassare valent Fabium. ne te morer, audi,
15 quo rem deducam. si quis deus «en ego» dicat
«iam faciam quod voltis: eris tu, qui modo miles,
mercator; tu, consultus modo, rusticus: hinc vos,
vos hinc mutatis discedite partibus. eia,
quid statis?» nolint. atqui licet esse beatis.
20 quid causae est, merito quin illis Iuppiter ambas
iratus buccas inflet neque se fore posthac
tam facilem dicat, votis ut praebeat aurem?
praeterea, ne sic ut qui iocularia ridens
percurram – quamquam ridentem dicere verum
25 quid vetat? ut pueris olim dant crustula blandi
doctores, elementa velint ut discere prima –
sed tamen amoto quaeramus seria ludo:
ille gravem duro terram qui vertit aratro,
perfidus hic caupo, miles nautaeque, per omne
30 audaces mare qui currunt, hac mente laborem
sese ferre, senes ut in otia tuta recedant,
aiunt, cum sibi sint congesta cibaria: sicut
parvola – nam exemplo est – magni formica laboris
ore trahit quodcumque potest atque addit acervo
35 quem struit, haud ignara ac non incauta futuri.
quae, simul inversum contristat Aquarius annum,
non usquam prorepat et illis utitur ante
quaesitis sapiens, cum te neque fervidus aestus
dremoveat lucro neque hiems, ignis mare ferrum,
40 nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter.
quid iuvat immensum te argenti pondus et auri
furtim defossa timidum deponere terra?
quod, si conminuas, vilem redigatur ad assem?
at ni id fit, quid habet pulcri constructus acervus?
45 milia frumenti tua triverit area centum:
non tuus hoc capiet venter plus ac meus: ut, si
reticulum panis venalis inter onusto
forte vehas umero, nihilo plus accipias quam
qui nil portarit. vel dic quid referat intra

50 naturae finis viventi, iugera centum an
 mille aret? «at suave est ex magno tollere acervo».
 dum ex parvo nobis tantundem haurire relinquas,
 cur tua plus laudes cumeris granaria nostris?
 ut tibi si sit opus liquidi non amplius urna
 55 vel cyatho et dicas «magno de flumine malle
 quam ex hoc fonticulo tantundem sumere». eo fit,
 plenior ut siquos delectet copia iusto,
 cum ripa simul avolsos ferat Aufidus acer.
 at qui tantuli eget quanto est opus, is neque limo
 60 turbatam haurit aquam neque vitam amittit in undis.
 at bona pars hominum decepta cupidine falso
 «nil satis est, – inquit, – quia tanti quantum habeas sis»:
 quid facias illi? iubeas miserum esse, libenter
 quatenus id facit: ut quidam memoratur Athenis
 65 sordidus ac dives, populi contemnere voces
 sic solitus: «populus me sibilat, at mihi plaudo
 ipse domi, simul ac nummos contemplos in arca».
 Tantalus a labris sitiens fugientia captat
 flumina – quid rides? mutato nomine de te
 70 fabula narratur: congestis undique saccis
 indormis inhians et tamquam parcere sacris
 cogere aut pictis tamquam gaudere tabellis.
 nescis, quo valeat nummus, quem praebeat usum?
 panis ematur, holus, vini sextarius, adde
 75 quis humana sibi doleat natura negatis.
 an vigilare metu exanimem, noctesque diesque
 formidare malos fures, incendia, servos,
 ne te concipiant fugientes, hoc iuvat? horum
 semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.
 80 at si condoluit temptatum frigore corpus
 aut alius casus lecto te adflixit, habes qui
 adsideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
 suscitet ac reddat gnatis carisque propinquis?
 non uxor salvum te volt, non filius; omnes
 85 vicini oderunt, noti, pueri atque puellae.
 miraris, cum tu argento post omnia ponas,
 si nemo praestet, quem non merearis, amorem?
 an si cognatos, nullo natura labore
 quos tibi dat, retinere velis servareque amicos,

90 infelix operam perdas, ut siquis asellum
in campo doceat parentem currere frenis?
denique sit finis quaerendi, cumque habeas plus,
pauperiem metuas minus et finire laborem
incipias, parto quod avebas, ne facias quod
95 Ummidius quidam; non longa est fabula: dives
ut metiretur nummos, ita sordidus, ut se
non umquam servo melius vestiret, ad usque
supremum tempus, ne se penuria victus
opprimeret, metuebat. at hunc liberta securi
100 divisit medium, fortissima Tyndaridarum.
«quid mi igitur suades? ut vivam Naeivius aut sic
ut Nomentanus?» pergis pugnancia secum
frontibus adversis conponere: non ego avarum
cum veto te, fieri vappam iubeo ac nebulonem:
105 est inter Tanain quiddam socerumque Viselli:
est modus in rebus, sunt certi denique fines,
quos ultra citraque nequit consistere rectum.
illuc, unde abii, redeo, qui nemo, ut avarus,
se probet ac potius laudet diversa sequentis,
110 quodque aliena capella gerat distentius uber,
tabescat neque se maiori pauperiorum
turbae conparet, hunc atque hunc superare laboret.
sic festinanti semper locupletior obstat,
ut, cum carceribus missos rapit ungula currus,
115 instat equis auriga suos vincentibus, illum
praeteritum temnens extremos inter euntem.
inde fit, ut raro, qui se vixisse beatum
dicat et exacto contentus tempore vita
cedat uti conviva satur, reperire queamus.
120 iam satis est. ne me Crispini scrinia lippi
conpilassee putes, verbum non amplius addam.

LIBER SECUNDUS

SERMO VI

1 Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
hortus ubi et tecto vicinus iugis aquae fons
et paulum silvae super his foret. auctius atque
di melius fecere. bene est. nil amplius oro,

5 Maia nate, nisi ut propria haec mihi munera faxis.
si neque maiorem feci ratione mala rem
nec sum facturus vitio culpave minorem,
si veneror stultus nihil horum «o si angulus ille
proximus accedat, qui nunc denormat agellum!»
10 «o si urnam argenti fors quae mihi monstret, ut illi,
thesauro invento qui mercennarius agrum
illum ipsum mercatus aravit, dives amico
Hercule!», si quod adest gratum iuvat, hac prece te oro:
pingue pecus domino facias et cetera praeter
15 ingenium, utque soles, custos mihi maximus adsis.
ergo ubi me in montes et in arcem ex urbe removi,
quid prius inlustrem saturis musaque pedestri?
nec mala me ambitio perdit nec plumbeus auster
autumnusque gravis, Libitinae quaestus acerbae.
20 Matutine pater, seu Iane libentius audis,
unde homines operum primos vitaeque labores
instituunt – sic dis placitum – tu carminis esto
principium. Romae sponsorem me rapis: «eia,
ne prior officio quisquam respondeat, urge».
25 sive aquilo radit terras seu bruma nivalem
interiore diem gyro trahit, ire necesse est.
postmodo quod mi obsit clare certumque locuto
luctandum in turba et facienda iniuria tardis.
«quid tibi vis, insane?» et «quam rem agis?» inprobis urget
30 iratis precibus, «tu pulses omne quod obstat,
ad Maecenatem memori si mente recurras».
hoc iuvat et melli est, non mentiar. at simul atras
ventum est Esquilias, aliena negotia centum
per caput et circa saliunt latus. «ante secundam
35 Roscius orabat sibi adesses ad Puteal cras».
«de re communi scribae magna atque nova te
orabant hodie meminisses, Quinte, reverti».
«inprimat his cura Maecenas signa tabellis».
dixeris: «experiar»: «si vis, potes», addit et instat.
40 septimus octavo propior iam fugerit annus,
ex quo Maecenas me coepit habere suorum
in numero, dumtaxat ad hoc, quem tollere raeda

vellet iter faciens et cui concedere nugas
 hoc genus: «hora quota est?» «Thraex est Gallina Syro par?»
 45 «matutina parum cautos iam frigora mordent»,
 et quae rimosa bene deponuntur in aure.
 per totum hoc tempus subiectior in diem et horam
 invidiae noster. ludos spectaverat, una
 luserat in campo: «fortunae filius» omnes.
 50 frigidus a rostris manat per compita rumor:
 quicumque obuius est, me consulit: «o bone – nam te
 scire, deos quoniam propius contingis oportet –
 numquid de Dacis audisti?» «nil equidem». «ut tu
 semper eris derisor». «at omnes di exagitent me,
 55 si quicquam». «quid? militibus promissa Triquetra
 praedia Caesar an est Itala tellure daturus?»
 iurantem me scire nihil mirantur ut unum
 scilicet egregii mortalem altique silenti.
 perditur haec inter misero lux non sine votis:
 60 o rus, quando ego te adspiciam quandoque licebit
 nunc veterum libris, nunc somno et inertibus horis
 ducere sollicitae iucunda obliviae vitae?
 o quando faba Pythagorae cognata simulque
 uncta satis pingui ponentur holuscula lardo?
 65 o noctes cenaequae deum, quibus ipse meique
 ante Larem proprium vescor vernasque procacis
 pasco libatis dapibus. prout cuique libido est,
 siccatur inaequalis calices conviva solutus
 legibus insanis, seu quis capit acria fortis
 70 pocula seu modicis uvescit laetius. ergo
 sermo oritur, non de villis domibusve alienis,
 nec male necne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos
 pertinet et nescire malum est, agitur, utrumne
 divitiis homines an sint virtute beati,
 75 quidve ad amicitias, usus rectumne, trahat nos
 et quae sit natura boni summumque quid eius.
 Cervius haec inter vicinus garrat anilis
 ex re fabellas. si quis nam laudat Arelli
 sollicitas ignarus opes, sic incipit: «olim

80 rusticus urbanum murem mus paupere fertur
 accepisse cavo, veterem vetus hospes amicum,
 asper et attentus quaesitis, ut tamen artum
 solveret hospitiis animum. quid multa? neque ille
 sepositi ciceris nec longae invidit avenae,
 85 aridum et ore ferens acinum semesaque lardi
 frustra dedit, cupiens varia fastidia cena
 vincere tangentis male singula dente superbo,
 cum pater ipse domus palea porrectus in horna
 esset ador loliumque, dapis meliora relinquens.
 90 tandem urbanus ad hunc „quid te iuvat, – inquit, – amice,
 praerupti nemoris patientem vivere dorso?
 vis tu homines urbemque feris praeponere silvis?
 carpe viam, mihi crede, comes, terrestria quando
 mortalis animas vivunt sortita neque ulla est
 95 aut magno aut parvo leti fuga: quo, bone, circa,
 dum licet, in rebus iucundis vive beatus,
 vive memor, quam sis aevi brevis“. haec ubi dicta
 agrestem pepulere, domo levis exsilit; inde
 ambo propositum peragunt iter, urbis aventes
 100 moenia nocturni subrepere. iamque tenebat
 nox medium caeli spatium, cum ponit uterque
 in locuplete domo vestigia, rubro ubi cocco
 tincta super lectos canderet vestis eburnos
 multaue de magna superessent fercula cena,
 105 quae procul exstructis inerant hesterna canistris.
 ergo ubi purpurea porrectum in veste locavit
 agrestem, veluti succinctus cursitat hospes
 continuatque dapes nec non verniliter ipsis
 fungitur officii, praelambens omne quod adfert.
 110 ille cubans gaudet mutata sorte bonisque
 rebus agit laetum convivam, cum subito ingens
 valvarum strepitus lectis excussit utrumque.
 currere per totum pavidi conclave magisque
 exanimes trepidare, simul domus alta Molossis
 115 personuit canibus. tum rusticus: „haud mihi vita
 est opus hac“ ait et „valeas: me silva cavosque
 tutus ab insidiis tenui solabitur ervo“».

EPODI*

EPODOS II

- 1 Beatus ille qui procul negotiis,
ut prisca gens mortalium,
paterna rura bobus exercet suis
solutus omni faenore
- 5 neque excitatur classico miles truci
neque horret iratum mare
forumque vitat et superba civium
potentiorum limina.
- 10 ergo aut adulta vitium propagine
altas maritat populos
aut in reducta valle mugientium
prospectat errantis greges
inutilis falce ramos amputans
feliciores inserit
- 15 aut pressa puris mella condit amphoris
aut tondet infirmas ovis.
vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
ut gaudet insitiva decerpens pira
- 20 certantem et uvam purpurae,
qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium.
libet iacere modo sub antiqua ilice,
modo in tenaci gramine:
- 25 labuntur altis interim ripis aquae,
queruntur in silvis aves
fontesque lymphis obstrepunt manantibus,
somnos quod invitet levis.
- 30 at cum tonantis annus hibernus Iovis
imbris nivisque comparat,
aut trudit acris hinc et hinc multa cane
apros in obstantis plagas
aut amite levi rara tendit retia
turdibus edacibus dolos

* Эподы приводятся по изданию: Q. Horati Flacci Opera / ed. F. Klingner. Leipzig, 1959.

35 pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
iucunda captat praemia.
quis non malarum quas amor curas habet
haec inter obliviscitur?
quodsi pudica mulier in partem iuvet
40 domum atque dulcis liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
pernicis uxor Apuli,
sacrum vetustis exstruat lignis focum
lassi sub adventum viri
45 claudensque textis cratibus laetum pecus
distenta siccet ubera
et horna dulci vina promens dolio
dapes inemptas adparet:
non me Lucrina iuverint conchylia
50 magisve rhombus aut scari,
siquos Eois intonata fluctibus
hiems ad hoc vertat mare,
non Afra avis descendat in ventrem meum,
non attagen Ionicus
55 iucundior quam lecta de pinguissimis
oliva ramis arborum
aut herba lapathi prata amantis et gravi
malvae salubres corpori
vel agna festis caesa Terminalibus
60 vel haedus ereptus lupo.
has inter epulas ut iuvat pastas ovis
videre properantis domum,
videre fessos vomerem inversum boves
collo trahentis languido
65 positosque vernas, ditis examen domus,
circum renidentis Lares. –
haec ubi locutus faenerator Alfius,
iam iam futurus rusticus,
omnem redegit idibus pecuniam,
70 quaerit kalendis ponere.

EPODOS VII

1 Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris
aptantur enses conditi?
parumne campis atque Neptuno super
fusum est Latini sanguinis,
5 non ut superbas invidiae Karthaginis
Romanus arces ureret
intactus aut Britannus ut descenderet
sacra catenatus via,
sed ut secundum vota Parthorum sua
10 urbs haec periret dextera?
neque hic lupis mos nec fuit leonibus
umquam nisi in dispar feris.
furore caecus an rapit vis acrior
an culpa? responsum date.
15 tacent et albus ora pallor inficit
mentesque percussae stupent.
sic est: acerba fata Romanos agunt
scelusque fraternae necis,
ut inmerentis fluxit in terram Remi
20 sacer nepotibus cruor.

CARMINA*

LIBER PRIMUS

CARMEN I

1 Maecenas atavis edite regibus,
o et praesidium et dulce decus meum:
sunt quos curriculo pulverem Olympicum
collegisse iuvat metaque fervidis
5 evitata rotis palmaque nobilis
terrarum dominos evehit ad deos;
hunc, si mobilium turba Quiritium
certat tergeminis tollere honoribus;
illum, si proprio condidit horreo

* Оды приводятся по изданию: Q. Horati Flacci Opera / ed. F. Klingner. Leipzig, 1959.

10 quidquid de Libycis verritur areis.
gaudentem patrios findere sarculo
agros Attalicis condicionibus
numquam demoveas, ut trabe Cypria
Myrtoum pavidus nauta secet mare;
15 luctantem Icaris fluctibus Africum
mercator metuens otium et oppidi
laudat rura sui: mox reficit rates
quassas indocilis pauperiem pati.
est qui nec veteris pocula Massici
20 nec partem solido demere de die
spernit, nunc viridi membra sub arbuto
stratus, nunc ad aquae lene caput sacrae;
multos castra iuvant et lituo tubae
permixtus sonitus bellaque matribus
25 detestata; manet sub Iove frigido
venator tenerae coniugis inmemor,
seu visa est catulis cerva fidelibus,
seu rupit teretes Marsus aper plagas.
me doctarum hederæ præmia frontium
30 dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
secernunt populo, si neque tibus
Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.
35 quodsi me lyricis vatibus inseres,
sublimi feriam sidera vertice.

CARMEN II

1 Iam satis terris nivis atque dirae
grandinis misit pater et rubente
dextera sacras iaculatus arcis
 terrui urbem,
5 terrui gentis, grave ne rediret
saeculum Pyrrhae nova monstra questae,
omne cum Proteus pecus egit altos
 visere montis
piscium et summa genus haesit ulmo,

10 nota quae sedes fuerat columbis,
et superiecto pavidae natarunt
aequore dammae.
vidimus flavom Tiberim retortis
litore Etrusco violenter undis
15 ire deiectum monumenta regis
templaque Vestae,
Iliae dum se nimium querenti
iactat ultorem, vagus et sinistra
labitur ripa Iove non probante u-
20 xorius amnis.
audiet civis acuisse ferrum,
quo graves Persae melius perirent,
audiet pugnans vitio parentum
rara iuventus.
25 quem vocet divum populus ruentis
imperii rebus? prece qua fatigent
virgines sanctae minus audientem
carmina Vestam?
cui dabit partis scelus expiandi
30 Iuppiter? tandem venias precamur
nube candentis umeros amictus
augur Apollo;
sive tu mavis, Erycina ridens,
quam Iocus circum volat et Cupido;
35 sive neglectum genus et nepotes
respicis auctor,
heu nimis longo satiate ludo,
quem iuvat clamor galeaeque leves
acer et Marsi peditis cruentum
40 voltus in hostem;
sive mutata iuvenem figura
ales in terris imitaris almae
filius Maiiae patiens vocari
Caesaris ultor,
45 serus in caelum redeas diuque
laetus intersis populo Quirini,
neve te nostris vitiis iniquum
ocior aura
tollat: hic magnos potius triumphos,
50 hic ames dici pater atque princeps,
neu sinas Medos equitare inultos
te duce, Caesar.

LIBER SECUNDUS

CARMEN III

1 Aequam memento rebus in arduis
servare mentem, non secus in bonis
 ab insolenti temperatam
 laetitia, moriture Delli,
5 seu maestus omni tempore vixeris,
seu te in remoto gramine per dies
 festos reclinatum bearis
 interiore nota Falerni.
 quo pinus ingens albaque populus
10 umbram hospitem consociare amant
 ramis? quid obliquo laborat
 lympha fugax trepidare rivo?
 huc vina et unguenta et nimium brevis
 flores amoenae ferre iube rosae,
15 dum res et aetas et sororum
 fila trium patiuntur atra.
 cedes coemptis saltibus et domo
 villaque flavos quam Tiberis lavit,
 cedes et exstructis in altum
20 divitiis potietur heres.
 divesne prisco natus ab Inacho
 nil interest an pauper et infima
 de gente sub divo moreris,
 victima nil miserantis Orci:
25 omnes eodem cogimur, omnium
versatur urna serius ocius
 sors exitura et nos in aeternum
 exilium inpositura cumbae.

LIBER TERTIUS

CARMEN VII

1 Quid fles, Asterie, quem tibi candidi
 primo restituent vere Favonii
 Thyna merce beatum,
 constantis iuvenem fide

5 Gygen? ille Notis actus ad Oricum
 post insana Caprae sidera frigidas
 noctis non sine multis
 insomnis lacrimis agit.
 atqui sollicitae nuntius hospitae,
 10 suspirare Chloen et miseram tuis
 dicens ignibus uri,
 temptat mille vafer modis.
 ut Proetum mulier perfida credulum
 falsis inpulerit criminibus nimis
 15 casto Bellerophontae
 maturare necem refert,
 narrat paene datum Pelea Tartaro,
 Magnessam Hippolyten dum fugit abstinens,
 et peccare docentis
 20 fallax historias movet,
 frustra: nam scopulis surdior Icari
 voces audit adhuc integer. at tibi
 ne vicinus Enipeus
 plus iusto placeat cave,
 25 quamvis non alius flectere equum sciens
 aequae conspicitur gramine Martio
 nec quisquam citus aequae
 Tusco denatat alveo.
 prima nocte domum claude neque in vias
 30 sub cantu querulae despice tibiae
 et te saepe vocanti
 duram difficilis mane.

CARMEN XXX

1 Exegi monumentum aere perennius
 regalique situ pyramidum altius,
 quod non imber edax, non aquilo impotens
 possit diruere aut innumerabilis
 5 annorum series et fuga temporum.
 non omnis moriar multaue pars mei
 vitabit Libitinam: usque ego postera
 crescam laude recens, dum Capitolium
 scandet cum tacita virgine pontifex:

10 dicar, qua violens obstrepit Aufidus
 et qua pauper aquae Daunus agrestium
 regnavit populorum, ex humili potens
 princeps Aeolium carmen ad Italos
 deduxisse modos. sume superbiam
15 quaesitam meritis et mihi Delphica
 lauro cinge volens, Melpomene, comam.

LIBER QUARTUS

CARMEN III

1 Quem tu, Melpomene, semel
 nascentem placido lumine videris,
 illum non labor Isthmius
 clarabit pugilem, non equos inpiger
5 curru ducet Achaico
 victorem, neque res bellica Deliis
 ornatum foliis ducem,
 quod regum tumidas contuderit minas,
 ostendet Capitolio:
10 sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
 et spissae nemorum comae
 fingent Aeolio carmine nobilem.
 Romae, principis urbium,
 dignatur suboles inter amabilis
15 vatum ponere me choros,
 et iam dente minus mordeor invido.
 o testudinis aureae
 dulcem quae strepitum, Pieri, temperas,
 o mutis quoque piscibus
20 donatura cycni, si libeat, sonum,
 totum muneris hoc tui est,
 quod monstror digito praetereuntium
 Romanae fidicen lyrae;
 quod spiro et placeo, si placeo, tuum est.

TITUS LIVIUS

Тит Ливий (59 г. до н. э. – 17 г. н. э.) – римский историк эпохи принципата Августа. Родился в Патавии (совр. Падуя), жил в Риме. Автор монументальной истории Рима от основания города до современного ему периода (смерть Нерона Клавдия Друза в 9 г. до н. э.) в 142 книгах. Из них до нашего времени полностью сохранились 1–10 и 21–45. Содержание остальных книг можно узнать из кратких пересказов, составленных предположительно в 4 г. н. э.

Ливий стал знаменитым еще при жизни. Его отличали развитое историческое мышление и твердые моральные устои. Ливий относился к разряду писателей-просветителей, считал, что люди должны учиться извлекать уроки из событий прошлого.

Огромная популярность произведения Ливия объясняется прежде всего его литературными достоинствами. Автор ярко и образно воссоздал картины прошлого Рима. Стиль истории выдержан в традициях Марка Туллия Цицерона. Данте Алигьери восхищался римским историком, называя его «непогрешимым», М. Монтень именовал Ливия любимым автором, Н. Макиавелли сделал комментарий к первым десяти книгам его «Истории». Однако современные исследователи считают, что к выбору источников информации Ливий относился не критично, поэтому приведенные им сведения, особенно по истории раннего Рима, следует тщательно анализировать.

AB URBE CONDITA*

LIBER PRIMUS

- 1 <...> (LVII. 1) Ardeam Rutuli habebant, gens, ut in ea regione atque
in ea aetate, divitiis praepollens; eaque ipsa causa belli fuit, quod rex
Romanus cum ipse ditari, exhaustus magnificentia publicorum operum,
tum praeda delenire popularium animos studebat, (2) praeter aliam
5 superbiam regno infestos etiam quod se in fabrorum ministeriis ac
servili tam diu habitos opere ab rege indignabantur. (3) temptata res est,

* Фрагменты «Истории» приводятся по изданиям: Titi Livi Ab Urbe Condita / ed. R. S. Conway, C. F. Walters. Oxford, 1955. Vol. 1; Titi Livi Ab Urbe Condita / ed. C. F. Walters, R. S. Conway. Oxford, 1919–1950. Vol. 2–3.

si primo impetu capi Ardea posset: ubi id parum processit, obsidione
munitionibusque coepti premi hostes. (4) in his stativis, ut fit longo
magis quam acri bello, satis liberi commeatus erant, primoribus tamen
10 magis quam militibus; (5) regii quidem iuvenes interdum otium
conviviis comisationibusque inter se terebant. (6) forte potantibus his
apud Sex. Tarquinius, ubi et Collatinus cenabat Tarquinius, Egeri
filius, incidit de uxoribus mentio. suam quisque laudare miris modis;
(7) inde certamine accenso Collatinus negat verbis opus esse; paucis id
15 quidem horis posse sciri quantum ceteris praestet Lucretia sua. «quin, si
vigor iuventae inest, conscendimus equos invisimusque praesentes
nostrarum ingenia? id cuique spectatissimum sit quod necopinato viri
adventu occurrerit oculis». (8) incaluerant vino; «age sane» omnes;
citatis equis avolant Romam. quo cum primis se intendentibus tenebris
20 pervenissent, pergunt inde Collatiam, (9) ubi Lucretiam haudquaquam
ut regias nurus, quas in convivio luxuque cum aequalibus viderant
tempus terentes sed nocte sera deditam lanae inter lucubrantes ancillas
in medio aedium sedentem inveniunt. (10) muliebris certaminis laus
penes Lucretiam fuit. adveniens vir Tarquiniique excepti benigne; victor
25 maritus comiter invitat regios iuvenes. ibi Sex. Tarquinius mala libido
Lucretiae per vim stuprandae capit; cum forma tum spectata castitas
incitat. (11) et tum quidem ab nocturno iuvenali ludo in castra redeunt.

(LVIII. 1) Paucis interiectis diebus Sex. Tarquinius inscio Collatino
cum comite uno Collatiam venit. (2) ubi exceptus benigne ab ignaris
30 consilii cum post cenam in hospitale cubiculum deductus esset, amore
ardens, postquam satis tuta circa sopitique omnes videbantur, stricto
gladio ad dormientem Lucretiam venit sinistraque manu mulieris pectore
oppresso «tace, Lucretia, – inquit. – Sex. Tarquinius sum; ferrum in manu
est; moriere, si emiseris vocem». (3) cum pavida ex somno mulier nullam
35 opem, prope mortem imminentem videret, tum Tarquinius fateri amorem,
orare, miscere precibus minas, versare in omnes partes muliebrem
animum. (4) ubi obstinatam videbat et ne mortis quidem metu inclinari,
addit ad metum dedecus: cum mortua iugulatum servum nudum
positurum ait, ut in sordido adulterio necata dicatur. (5) quo terrore cum
40 vicisset obstinatam pudicitiam velut <vi> victrix libido, profectusque inde
Tarquinius ferox expugnato decore muliebri esset, Lucretia maesta tanto
malo nuntium Romam eundem ad patrem Ardeamque ad virum mittit, ut
cum singulis fidelibus amicis veniant; ita facto maturatoque opus esse;
rem atrocem incidisse. (6) Sp. Lucretius cum P. Ualerio Volesi filio,
45 Collatinus cum L. Iunio Bruto venit, cum quo forte Romam rediens ab
nuntio uxoris erat conventus. (7) Lucretiam sedentem maestam in

cubiculo inveniunt. adventu suorum lacrimae abortae, quaerentique viro «satin salve?» «minime, – inquit. – quid enim salvi est mulieri amissa pudicitia? vestigia viri alieni, Collatine, in lecto sunt tuo; ceterum corpus
50 est tantum violatum, animus insons; mors testis erit. sed date dexteras fidemque haud impune adultero fore. (8) Sex. est Tarquinius qui hostis pro hospite priore nocte vi armatus mihi sibi, si vos viri estis, pestiferum hinc abstulit gaudium». (9) dant ordine omnes fidem; consolantur aegram animi avertendo noxam ab coacta in auctorem delicti:
55 mentem peccare, non corpus, et unde consilium afuerit culpam abesse. 10 «vos, – inquit, – videritis quid illi debeatur: ego me etsi peccato absolvo, supplicio non libero; nec ulla deinde impudica Lucretiae exemplo vivet». (11) cultrum, quem sub veste abditum habebat, eum in corde defigit, prolapsaque in vulnus moribunda cecidit. (12) conclamat vir paterque; (LIX.1) Brutus illis luctu occupatis cultrum ex vulnere
60 Lucretiae extractum, manantem cruore prae se tenens, «per hunc, – inquit, – castissimum ante regiam iniuriam sanguinem iuro, vosque, di, testes facio me L. Tarquinium Superbum cum scelerata coniuge et omni liberorum stirpe ferro igni quacumque dehinc vi possim exsecuturum, nec
65 illos nec alium quemquam regnare Romae passurum». (2) cultrum deinde Collatino tradit, inde Lucretio ac Valerio, stupentibus miraculo rei, unde novum in Bruti pectore ingenium. ut praeceptum erat iurant; totique ab luctu versi in iram, Brutum iam inde ad expugnandum regnum vocantem sequuntur ducem. (3) elatum domo Lucretiae corpus in forum deferunt, concientque miraculo, ut fit, rei novae atque indignitate homines. (4) pro
70 se quisque scelus regium ac vim queruntur. movet cum patris maestitia, tum Brutus castigator lacrimarum atque inertium querellarum auctorque quod viros, quod Romanos deceret, arma capiendi adversus hostilia ausos. (5) ferocissimus quisque iuvenum cum armis voluntarius adest;
75 sequitur et cetera iuventus. inde patre praeside relicto Collatiae [ad portas] custodibusque datis ne quis eum motum regibus nuntiaret, ceteri armati duce Bruto Romam profecti. (6) ubi eo ventum est, quacumque incedit armata multitudo, pavorem ac tumultum facit; rursus ubi anteire primores civitatis vident, quidquid sit haud temere esse rentur. (7) nec
80 minorem motum animorum Romae tam atrox res facit quam Collatiae fecerat; ergo ex omnibus locis urbis in forum curritur. quo simul ventum est, praeco ad tribunal celerum, in quo tum magistratu forte Brutus erat, populum advocavit. (8) ibi oratio habita nequaquam eius pectoris ingenique quod simulatum ad eam diem fuerat, de vi ac libidine Sex. Tarquini, de stupro infando Lucretiae et miserabili caede, de orbitate
85 Tricipitini cui morte filiae causa mortis indignior ac miserabilior esset.

(9) addita superbia ipsius regis miseriaeque et labores plebis in fossas cloacasque exhauriendas demersae; Romanos homines, victores omnium circa populorum, opifices ac lapidas pro bellatoribus factos. (10) indigna Ser. Tulli regis memorata caedes et invecta corpori patris nefando vehiculo filia, invocatique ultores parentum di. (11) his atrocioribusque, credo, aliis, quae praesens rerum indignitas haudquaquam relatu scriptoribus facilia subicit, memoratis incensam multitudinem perpulit ut imperium regi abrogaret exsulesque esse iuberet L. Tarquinius cum coniuge ac liberis. (12) ipse iunioribus qui ultro nomina dabant lectis armatisque, ad concitandum inde adversus regem exercitum Ardeam in castra est profectus: imperium in urbe Lucretio, praefecto urbis iam ante ab rege instituto, relinquit. (13) inter hunc tumultum Tullia domo profugit execrantibus quacumque incedebat invocantibusque parentum furias viris mulieribusque.

(LX. 1) Harum rerum nuntiis in castra perlatis cum re nova trepidus rex pergeret Romam ad comprimendos motus, flexit viam Brutus – senserat enim adventum – ne obvius fieret; eodemque fere tempore, diversis itineribus, Brutus Ardeam, Tarquinius Romam venerunt. (2) Tarquinio clausae portae exsiliumque indictum: liberatorem urbis laeta castra acceperere, exactique inde liberi regis. duo patrem secuti sunt qui exsulatum Caere in Etruscos ierunt. Sex. Tarquinius Gabios tamquam in suum regnum profectus ab ultoribus veterum simultatum, quas sibi ipse caedibus rapinisque concierat, est interfectus. (3) L. Tarquinius Superbus regnavit annos quinque et viginti. regnatum Romae ab condita urbe ad liberatam annos ducentos quadraginta quattuor. duo consules inde comitiis centuriatis a praefecto urbis ex commentariis Ser. Tulli creati sunt, L. Iunius Brutus et L. Tarquinius Collatinus.

LIBER SECUNDUS

(I. 1) Liberi iam hinc populi Romani res pace belloque gestas, annuos magistratus, imperiaque legum potentiora quam hominum peragam. (2) quae libertas ut laetior esset proximi regis superbia fecerat. nam priores ita regnarunt ut haud immerito omnes deinceps conditores partium certe urbis, quas novas ipsi sedes ab se auctae multitudinis addiderunt, numerentur; (3) neque ambigitur quin Brutus idem qui tantum gloriae superbo exacto rege meruit pessimo publico id facturus fuerit, si libertatis immaturae cupidine priorum regum alicui regnum extorsisset. (4) quid enim futurum fuit, si illa pastorum convenarumque plebs, transfuga ex suis populis, sub tutela inviolati

templi aut libertatem aut certe impunitatem adepta, soluta regio metu
agitari coepta esset tribuniciis procellis, (5) et in aliena urbe cum
patribus serere certamina, priusquam pignera coniugum ac liberorum
caritasque ipsius soli, cui longo tempore adsuescitur, animos eorum
15 consociasset? (6) dissipatae res nondum adultae discordia forent, quas
fovit tranquilla moderatio imperii eoque nutriendo perduxit ut bonam
frugem libertatis maturis iam viribus ferre possent. (7) libertatis autem
originem inde magis quia annum imperium consulare factum est
quam quod deminutum quicquam sit ex regia potestate numeres.
20 (8) omnia iura, omnia insignia primi consules tenuere; id modo cautum
est ne, si ambo fasces haberent, duplicatus terror videretur. Brutus
prior, concedente collega, fasces habuit; qui non acrior vindex
libertatis fuerat quam deinde custos fuit. (9) omnium primum avidum
novae libertatis populum, ne postmodum flecti precibus aut donis
25 regiis posset, iure iurando adegit neminem Romae passuros regnare.
(10) deinde quo plus virium in senatu frequentia etiam ordinis faceret,
caedibus regis deminutum patrum numerum primoribus equestris
gradus lectis ad trecentorum summam explevit, (11) traditumque inde
fertur ut in senatum vocarentur qui patres quique conscripti essent;
30 conscriptos videlicet [novum senatum] appellabant lectos. id mirum
quantum profuit ad concordiam civitatis iungendosque patribus plebis
animos.

(II. 1) Rerum deinde divinarum habita cura; et quia quaedam
publica sacra per ipsos reges factitata erant, necubi regum desiderium
35 esset, regem sacrificolum creant. (2) id sacerdotium pontifici
subiecere, ne additus nomini honos aliquid libertati, cuius tunc prima
erat cura, officeret. ac nescio an nimium undique eam minimisque
rebus muniendo modum excesserint. (3) consulis enim alterius, cum
nihil aliud offenderet, nomen invisum civitati fuit: nimium Tarquinius
40 regno adsuesse; initium a Prisco factum; regnasse dein Ser. Tullium;
ne intervallo quidem facto oblitum, tamquam alieni, regni, Superbum
Tarquinium velut hereditatem gentis scelere ac vi repetisse; pulso
Superbo penes Collatinum imperium esse. nescire Tarquinius privatos
vivere; non placere nomen, periculosum libertati esse. (4) hinc primo
45 sensim temptantium animos sermo per totam civitatem est datus,
sollicitamque suspicione plebem Brutus ad contionem vocat. (5) ibi
omnium primum ius iurandum populi recitat neminem regnare
passuros nec esse Romae unde periculum libertati foret; id summa ope
tuendum esse, neque ullam rem quae eo pertineat contemnendam.
50 invitum se dicere hominis causa, nec dicturum fuisse ni caritas rei

publicae vinceret: (6) non credere populum Romanum solidam libertatem reciperatam esse; regium genus, regium nomen non solum in civitate sed etiam in imperio esse; id officere, id obstare libertati. (7) «hunc tu, – inquit, – tua voluntate, L. Tarquini, remove metum. 55 meminimus, fatemur: eiecisti reges; absolve beneficium tuum, aufer hinc regium nomen. res tuas tibi non solum reddent cives tui auctore me, sed si quid deest munifice augebunt. amicus abi; exonera civitatem vano forsitan metu; ita persuasum est animis cum gente Tarquinia regnum hinc abiturum». (8) consuli primo tam novae rei ac subitae admiratio incluserat vocem; dicere deinde incipientem primores civitatis circumsistunt, eadem multis precibus orant. (9) et ceteri quidem movebant minus: postquam Sp. Lucretius, maior aetate ac dignitate, socer praeterea ipsius, agere varie rogando alternis suadendoque coepit ut vinci se consensu civitatis pateretur, (10) timens 65 consul ne postmodum privato sibi eadem illa cum bonorum amissione additaque alia insuper ignominia acciderent, abdicavit se consulatu rebusque suis omnibus Lavinium translatis civitate cessit. (11) Brutus ex senatus consulto ad populum tulit ut omnes Tarquiniae gentis exsules essent; collegam sibi comitiis centuriatis creavit P. Ualerium, 70 quo adiutore reges eiecerat.

(III. 1) Cum haud cuiquam in dubio esset bellum ab Tarquiniis imminere, id quidem spe omnium serius fuit; ceterum, id quod non timebant, per dolum ac prodicionem prope libertas amissa est. (2) erant in Romana iuventute adulescentes aliquot, nec ii tenui loco orti, 75 quorum in regno libido solutior fuerat, aequales sodalesque adulescentium Tarquiniolorum, adsueti more regio vivere. (3) eam tum, aequato iure omnium, licentiam quaerentes, libertatem aliorum in suam vertisse servitutem inter se conquerebantur: regem hominem esse, a quo impetres, ubi ius, ubi iniuria opus sit; esse gratiae locum, esse beneficio; et irasci et ignoscere posse; inter amicum atque inimicum discrimen nosse; (4) leges rem surdam, inexorabilem esse, salubriorem melioremque inopi quam potenti; nihil laxamenti nec veniae habere, si modum excesseris; periculosum esse in tot humanis erroribus sola innocentia vivere. (5) ita iam sua sponte aegris animis legati ab regibus 85 superveniunt, sine mentione reditus bona tantum repetentes. eorum verba postquam in senatu audita sunt, per aliquot dies ea consultatio tenuit, ne non reddita belli causa, reddita belli materia et adiumentum essent. (6) interim legati alia moliri; aperte bona repetentes clam recipiendi regni consilia struere; et tamquam ad id quod agi videbatur 90 ambientes, nobilium adulescentium animos pertemptant. a quibus

placide oratio accepta est, iis litteras ab Tarquiniis reddunt et de accipiendis clam nocte in urbem regibus conloquuntur.

(IV. 1) Vitelliis Aquiliisque fratribus primo commissa res est. Vitelliorum soror consuli nupta Bruto erat, iamque ex eo matrimonio
95 adulescentes erant liberi, Titus Tiberiusque; eos quoque in societatem consilii avunculi adsumunt. (2) praeterea aliquot nobiles adulescentes conscii adsumpti, quorum vetustate memoria abiit. (3) interim cum in senatu vicisset sententia quae censebat reddenda bona, eamque ipsam
100 causam morae in urbe haberent legati quod spatium ad vehicula comparanda a consulibus sumpsissent quibus regum asportarent res, omne id tempus cum coniuratis consultando absumunt, evincuntque instando ut litterae sibi ad Tarquinos darentur: (4) nam aliter qui credituros eos non vana ab legatis super rebus tantis adferri? datae litterae ut pignus fidei essent, manifestum facinus fecerunt. (5) nam
105 cum pridie quam legati ad Tarquinos proficiscerentur cenatum forte apud Vitellios esset, coniuratique ibi, remotis arbitris, multa inter se de novo, ut fit, consilio egissent, sermonem eorum ex servis unus excepit, (6) qui iam antea id senserat agi, sed eam occasionem, ut litterae legatis darentur quae deprehensae rem coarguere possent, exspectabat.
110 postquam datas sensit, rem ad consules detulit. (7) consules ad deprehendendos legatos coniuratosque profecti domo sine tumultu rem omnem oppressere; litterarum in primis habita cura ne interciderent. proditoribus extemplo in vincla coniectis, de legatis paululum addubitatum est; et quamquam visi sunt commisisse ut hostium loco
115 essent, ius tamen gentium valuit.

(V. 1) De bonis regiis, quae reddi ante censuerant, res integra refertur ad patres. ibi vicit ira; vetuere reddi, vetuere in publicum redigi. (2) diripienda plebi sunt data, ut contacta regia praeda spem in
120 perpetuum cum iis pacis amitteret. ager Tarquiniorum qui inter urbem ac Tiberim fuit, consecratus Marti, Martius deinde campus fuit. (3) forte ibi tum seges farris dicitur fuisse matura messi. quem campi fructum quia religiosum erat consumere, desectam cum stramento segetem magna vis hominum simul immissa corribus fudere in Tiberim tenui fluentem aqua, ut mediis caloribus solet. ita in vadis
125 haesitantes frumenti acervos sedisse inlitos limo; (4) insulam inde paulatim, et aliis quae fert temere flumen eodem invectis, factam; postea credo additas moles manumque adiutum, ut tam eminens area firmaque templis quoque ac porticibus sustinendis esset. (5) direptis bonis regum damnati proditores sumptumque supplicium, conspectus
130 eo quod poenae capiendae ministerium patri de liberis consulatus

imposuit, et qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit. (6) stabant deligati ad palum nobilissimi iuvenes; sed a ceteris, velut ab ignotis capitibus, consulis liberi omnium in se averterant oculos, miserebatque non poenae magis
135 homines quam sceleris quo poenam meriti essent: (7) illos eo potissimum anno patriam liberatam, patrem liberatorem, consulatum ortum ex domo Iunia, patres, plebem, quidquid deorum hominumque Romanorum esset, induxisse in animum ut superbo quondam regi, tum infesto exsuli proderent. (8) consules in sedem processere suam,
140 missique lictores ad sumendum supplicium. nudatos virgis caedunt securisque feriunt, cum inter omne tempus pater voltusque et os eius spectaculo esset, eminente animo patrio inter publicae poenae ministerium. (9) secundum poenam nocentium, ut in utramque partem arcendis sceleribus exemplum nobile esset, praemium indici pecunia
145 ex aerario, libertas et civitas data. (10) ille primum dicitur vindicta liberatus; quidam vindictae quoque nomen tractum ab illo putant; Vindicio ipsi nomen fuisse. post illum observatum ut qui ita liberati essent in civitatem accepti viderentur. <...>

LIBER VICESIMUS PRIMUS

1 <...> (XXXVI. 1) Ventum deinde ad multo angustiore rupem atque ita rectis saxis ut aegre expeditus miles temptabundus manibusque retinens virgulta ac stirpes circa eminentes demittere sese posset. (2) natura locus iam ante praeceps recenti lapsu terrae in pedum
5 mille admodum altitudinem abruptus erat. (3) ibi cum velut ad finem viae equites constitissent, miranti Hannibali quae res moraretur agmen nuntiat rupem inviam esse. (4) digressus deinde ipse ad locum visendum. haud dubia res visa quin per invia circa nec trita antea, quamvis longo ambitu, circumduceret agmen. (5) ea vero via
10 insuperabilis fuit; nam cum super veterem nivem intactam nova modicae altitudinis esset, molli nec praealtae facile pedes ingredientium insistebant; (6) ut vero tot hominum iumentorumque incessu dilapsa est, per nudam infra glaciem fluentemque tabem liquescentis nivis ingrediebantur. (7) taetra ibi luctatio erat, [ut a
15 lubrica] glacie non recipiente vestigium et in prono citius pedes fallente, ut, seu manibus in adsurgendo seu genu se adiuvissent, ipsis adminiculis prolapsis iterum corruerent; nec stirpes circa radicesue ad quas pede aut manu quisquam eniti posset erant; ita in levi tantum glacie tabidaque nive volutabantur. (8) iumenta secabant interdum
20 etiam infimam ingredientia nivem et prolapsa iactandis gravius in

conitendo unguis penitus perfringebant, ut pleraque velut pedica capta haerent in dura et alta concreta glacie.

(XXXVII. 1) Tandem nequiquam iumentis atque hominibus fatigatis castra in iugo posita, aegerrime ad id ipsum loco purgato; 25 tantum nivis fodiendum atque egerendum fuit. (2) inde ad rupem muniendam per quam unam via esse poterat milites ducti, cum caedendum esset saxum, arboribus circa immanibus deiectis detruncatisque struem ingentem lignorum faciunt eamque, cum et vis 30 venti apta faciendi igni coorta esset, succendunt ardentiaque saxa infuso aceto putrefaciunt. (3) ita torridam incendio rupem ferro pandunt molliuntque anfractibus modicis clivos ut non iumenta solum sed elephantum etiam deduci possent. (4) quadriduum circa rupem consumptum, iumentis prope fame absumptis; nuda enim fere cacumina sunt et, si quid est pabuli, obruunt nives. (5) inferiora vallis 35 apricos quosdam colles habent rivosque prope silvas et iam humano cultu digniora loca. (6) ibi iumenta in pabulum missa et quies muniendo fessis hominibus data. triduo inde ad planum descensum et iam locis mollioribus et accolarum ingeniis.

(XXXVIII. 1) Hoc maxime modo in Italiam perventum est quinto 40 mense a Carthagine Nova, ut quidam auctores sunt, quinto decimo die Alpibus superatis. (2) quantae copiae transgresso in Italiam Hannibali fuerint nequaquam inter auctores constat. qui plurimum, centum milia peditum, viginti equitum fuisse scribunt; qui minimum, viginti milia peditum, sex equitum. (3) L. Cincius Alimentus, qui captum se ab 45 Hannibale scribit, maxime auctor moveret, nisi confunderet numerum Gallis Liguribusque additis; (4) cum his octoginta milia peditum, decem equitum adducta; – in Italia magis adfluxisse veri simile est et ita quidam auctores sunt; (5) – ex ipso autem audisse Hannibale, postquam Rhodanum transierit triginta sex milia hominum ingentemque numerum 50 equorum et aliorum iumentorum amisisse. Taurini Semigalli proxima gens erat in Italiam degresso. (6) id cum inter omnes constet, eo magis miror ambigi quam Alpes transierit et volgo credere Poenino – atque inde nomen ei iugo Alpium inditum – transgressum, Coelium per Cremonis iugum dicere transisse; (7) qui ambo saltus eum non in 55 Taurinos sed per Salassos montanos ad Libuos Gallos deduxerint. (8) nec veri simile est ea tum ad Galliam patuisse itinera; utique quae ad Poeninum ferunt obsaepta gentibus semigermanis fuissent. (9) neque hercule <nomen> montibus his, si quem forte id movet, ab transitu Poenorum ullo Sedunoveragri, incolae iugi eius, norint inditum sed ab 60 eo quem in summo sacratum vertice Poeninum montani appellant. <...>

(LII. 1) Iam ambo consules et quidquid Romanarum virium erat Hannibali oppositum aut illis copiis defendi posse Romanum imperium aut spem nullam aliam esse satis declarabat. (2) tamen consul alter, equestri proelio uno et vulnere suo comminutus, trahi rem malebat; recentis animi alter eoque ferocior nullam dilationem patiebatur. (3) quod inter Trebiam Padumque agri est Galli tum incolebant, in duorum praepotentium populorum certamine per ambiguum favorem haud dubie gratiam victoris spectantes. (4) id Romani, modo ne quid moverent, aequo satis, Poenus periniquo animo ferebat, ab Gallis accitum se venisse ad liberandos eos dictitans. (5) ob eam iram, simul ut praeda militem aleret, duo milia peditum et mille equites, Numidas plerosque, mixtos quosdam et Gallos, populari omnem deinceps agrum usque ad Padi ripas iussit. (6) egentes ope Galli, cum ad id dubios servassent animos, coacti ab auctoribus iniuriae ad vindices futuros declinant legatisque ad consulem missis auxilium Romanorum terrae ob nimiam cultorum fidem in Romanos laboranti orant. (7) Cornelio nec causa nec tempus agenda rei placebat suspectaque ei gens erat cum ob infida multa facinora, tum, ut alia vetustate obsolevisset, ob recentem Boiorum perfidiam: (8) Sempronius contra continendis in fide sociis maximum vinculum esse primos qui eguissent ope defensos censebat. (9) tum collega cunctante equitatum suum mille peditum, iaculatoribus ferme, admixtis ad defendendum Gallicum agrum trans Trebiam mittit. (10) sparsos et incompositos, ad hoc graves praeda plerosque cum inopinato invasissent, ingentem terrorem caedemque ac fugam usque ad castra stationesque hostium fecere; unde multitudine effusa pulsus, rursus subsidio suorum proelium restituere. (11) varia inde pugna <inter recedentes in>sequentesque, cumque ad extremum aequassent certamen, maior tamen hostium <cum caedes esset, penes> Romanos fama victoriae fuit.

(LIII. 1) Ceterum nemini omnium maior ea iustiorque quam ipsi consuli videri; gaudio efferri, qua parte copiarum alter consul victus foret, ea se vicisse: (2) restitutos ac refectos militibus animos nec quemquam esse praeter collegam qui dilatam dimicationem vellet; eum, animo magis quam corpore aegrum memoria vulneris aciem ac tela horrere. sed non esse cum aegro senescendum. (3) quid enim ultra differri aut teri tempus? quem tertium consulem, quem alium exercitum exspectari? (4) castra Carthaginiensium in Italia ac prope in conspectu urbis esse. non Siciliam ac Sardiniam, victis ademptas, nec cis Hiberum Hispaniam peti sed solo patrio terraque in qua geniti forent pelli Romanos. «quantum ingemiscant, – inquit, – (5) patres nostri, circa moenia Carthaginis bellare soliti, si videant nos, progeniem suam, duos consules consularisque exercitus, in media Italia

pavescentes intra castra, Poenum quod inter Alpes Appenninumque agri sit suae ditionis fecisse?» (6) haec adsidens aegro collegae, haec in praetorio prope contionabundus agere. stimulabat et tempus propincum comitorum, ne in novos consules bellum differretur, et occasio in se unum vertendae gloriae, dum aeger collega erat. (7) itaque nequiquam dissentiente Cornelio parari ad propincum certamen milites iubet.

Hannibal cum quid optimum foret hosti cerneret, vix ullam spem habebat temere atque improvide quicquam consules acturos; (8) cum alterius ingenium, fama prius, deinde re cognitum, percitum ac ferox sciret esse ferociusque factum prospero cum praedatoribus suis certamine crederet, adesse gerendae rei fortunam haud diffidebat. (9) cuius ne quod praetermitteret tempus, sollicitus intentusque erat, dum tiro hostium miles esset, dum meliorem ex ducibus inutilem vulnus faceret, (10) dum Gallorum animi vigerent, quorum ingentem multitudinem sciebat segnius secururam quanto longius ab domo traherentur. (11) cum ob haec taliaque speraret propincum certamen et facere, si cessaretur, cuperet speculatoresque Galli, ad ea exploranda quae vellet tutiores quia in utrisque castris militabant, paratos pugnae esse Romanos rettulissent, locum insidiis circumspectare Poenus coepit.

(LIV. 1) Erat in medio rivus praealtis utrimque clausus ripis et circa obsitus palustribus herbis et quibus inculta ferme vestiuntur, virgultis vepribusque. quem ubi equites quoque tegendo satis latebrosum locum circumvectus ipse oculis perlustravit, «hic erit locus, – Magoni fratri ait, – quem teneas. (2) delige centenos viros ex omni peditate atque equitate cum quibus ad me vigilia prima venias; (3) nunc corpora curare tempus est». ita praetorium missum. mox cum delectis Mago aderat. «robora virorum cerno, – inquit Hannibal. – sed uti numero etiam, non animis modo valeatis, singulis vobis novenos ex turmis manipulisque vestri similes eligit. Mago locum monstrabit quem insideatis; hostem caecum ad has belli artes habetis». (4) ita <cum> mille equitibus Magone, mille peditibus dimisso Hannibal prima luce Numidas equites transgressos Trebiam flumen obequitare iubet hostium portis iaculandoque in stationes elicere ad pugnam hostem, iniecto deinde certamine cedendo sensim citra flumen pertrahere. (5) haec mandata Numidis: ceteris ducibus peditum equitumque praeceptum ut prandere omnes iuberent, armatos deinde instratisque equis signum exspectare. (6) Sempronius ad tumultum Numidarum primum omnem equitatum, ferox ea parte virium, deinde sex milia peditum, postremo omnes copias ad destinatum iam ante consilio avidus certaminis eduxit. (7) erat forte brumae tempus et nivalis dies in locis Alpihus Appenninoque interiectis, propinquitate etiam fluminum ac

145 paludum praegelidis. (8) ad hoc raptim eductis hominibus atque equis,
non capto ante cibo, non ope ulla ad arcendum frigus adhibita, nihil
caloris inerat, et quidquid aerae fluminis appropinquabant, adflabat acrior
frigoris vis. (9) ut vero refugientes Numidas insequentes aquam ingressi
sunt – et erat pectoribus tenuis aucta nocturno imbri – tum utique egressis
rigere omnibus corpora ut vix armorum tenendorum potentia esset, et
simul lassitudine et procedente iam die fame etiam deficere.

(LV. 1) Hannibalis interim miles ignibus ante tentoria factis oleoque
per manipulos, ut mollirent artus, misso et cibo per otium capto, ubi
150 transgressos flumen hostes nuntiatum est, alacer animis corporibusque
arma capit atque in aciem procedit. (2) Baliares locat ante signa <ac>
levem armaturam, octo ferme milia hominum, dein graviorem armis
peditem, quod virium, quod roboris erat; in cornibus circumfudit decem
milia equitum et ab cornibus in utramque partem diversos elephantos
155 statuit. (3) consul effuse sequentes equites, cum ab resistentibus subito
Numidis incauti exciperentur, signo receptui dato revocatos circumdedit
peditibus. (4) duodeviginti milia Romani erant, socium nominis Latini
viginti, auxilia praeterea Cenomanorum; ea sola in fide manserat Gallica
gens. iis copiis concursus est. (5) proelium a Baliaribus ortum est; quibus
160 cum maiore robore legiones obsisterent, diducta prope in cornua levis
armatura est, quae res effecit ut equitatus Romanus extemplo urgeretur.
(6) nam cum vix iam per se resisterent decem milibus equitum quattuor
milia et fessi integris plerisque, obruti sunt insuper velut nube iaculorum a
Baliaribus coniecta. (7) ad hoc elephanti eminentes ab extremis cornibus,
165 equis maxime non visu modo sed odore insolito territis, fugam late
faciebant. (8) pedestris pugna par animis magis quam viribus erat, quas
recentes Poenus paulo ante curatis corporibus in proelium attulerat; contra
ieiuna fessaque corpora Romanis et rigentia gelu torpebant. restitissent
tamen animis, si cum pedites solum foret pugnatum; (9) sed et Baliares
170 pulso equite iaculabantur in latera et elephanti iam in mediam peditum
aciem sese tulerant et Mago Numidaeque, simul latebras eorum improvida
praeterlata acies est, exorti ab tergo ingentem tumultum ac terrorem fecere.
(10) tamen in tot circumstantibus malis mansit aliquamdiu immota acies,
maxime praeter spem omnium adversus elephantos. (11) eos velites ad id
175 ipsum locati verutis coniectis et avertere et insecuti aversos sub caudis, qua
maxime molli cute volnera accipiunt, fodiebant.

(LVI. 1) Trepidantesque et prope iam in suos consternatos e media
acie in extremam ad sinistrum cornu adversus Gallos auxiliares agi iussit
Hannibal. ibi extemplo haud dubiam fecere fugam; novus quoque terror
180 additus Romanis ut fusa auxilia sua viderunt. (2) itaque cum iam in

orbem pugnarent, decem milia ferme hominum – cum alia evadere nequissent – media Afrorum acie quae Gallicis auxiliis firmata erat, cum ingenti caede hostium perrupere et, (3) cum neque in castra reditus esset flumine interclusus neque prae imbri satis decernere possent qua suis opem ferrent, Placentiam recto itinere perrexere. (4) plures deinde in omnes partes eruptiones factae; et qui flumen petiere, aut gurgitibus absumpti sunt aut inter cunctationem ingrediendi ab hostibus oppressi. (5) qui passim per agros fuga sparsi erant vestigia cedentis sequentes agminis Placentiam contendere; aliis timor hostium audaciam ingrediendi flumen fecit, transgressique in castra pervenerunt. (6) imber nive mixtus et intoleranda vis frigoris et homines multos et iumenta et elephantos prope omnes absumpsit. (7) finis insequendi hostis Poenis flumen Trebia fuit, et ita torpentes gelu in castra redire ut vix laetitiam victoriae sentirent. (8) itaque nocte insequenti, cum praesidium castrorum et quod relicum <ex fuga semernium> ex magna parte militum erat ratibus Trebiam traicerent, aut nihil sentire obstrepente pluvia aut, (9) quia iam moveri nequibant prae lassitudine ac volneribus, sentire sese dissimularunt, quietisque Poenis tacito agmine ab Scipione consule exercitus Placentiam est perductus, inde Pado traiectus Cremonam, ne duorum exercituum hibernis una colonia premeretur.

(LVII. 1) Romam tantus terror ex hac clade perlatus est ut iam ad urbem Romanam crederent infestis signis hostem venturum nec quicquam spei aut auxilii esse quo portis moenibusque vim arcerent: (2) uno consule ad Ticinum victo, altero ex Sicilia revocato, duobus consulibus, duobus consularibus exercitibus victis quos alios duces, quas alias legiones esse quae arcessantur? (3) ita territis Sempronius consul advenit, ingenti periculo per effusos passim ad praedandum hostium equites audacia magis quam consilio aut spe fallendi resistendive, si non falleret, transgressus. (4) is, quod unum maxime in praesentia desiderabatur, comitiis consularibus habitis in hiberna rediit. creati consules Cn. Seruilius et C. Flaminius. (5) ceterum ne hiberna quidem Romanis quieta erant vagantibus passim Numidis equitibus et, <ut> quaeque his impeditiora erant, Celtiberis Lusitanisque. omnes igitur undique clausi commeatus erant, nisi quos Pado naves subueherent. (6) emporium prope Placentiam fuit et opere magno munitum et valido firmatum praesidio. eius castelli oppugnandi spe cum equitibus ac levi armatura profectus Hannibal, cum plurimum in celando incepto ad effectum spei habuisset, nocte adortus non fefellit vigiles. (7) tantus repente clamor est sublatus ut Placentiae quoque audiretur. itaque sub lucem cum equitatu consul aderat iussis quadrato agmine legionibus sequi. (8) equestre interim proelium commissum; in quo, quia saucius

Hannibal pugna excessit, pavore hostibus iniecto defensum egregie praesidium est. (9) paucorum inde dierum quiete sumpta et vixdum satis percurato volnere, ad Uictumulas oppugnandas ire pergit. (10) id emporium Romanis Gallico bello fuerat; munitum inde locum frequentaverant accolae
225 mixti undique ex finitimis populis, et tum terror populationum eo plerosque ex agris compulerat. (11) huius generis multitudo fama impigre defensi ad Placentiam praesidii accensa armis arreptis obviam Hannibali procedit. (12) magis agmina quam acies in via concurrerunt, et cum ex altera parte nihil praeter inconditam turbam esset, in altera et dux militi et duci miles
230 fidens, ad triginta quinque milia hominum a paucis fusa. (13) postero die deditione facta praesidium intra moenia acceperere; iussique arma tradere cum dicto paruisent, signum repente victoribus datur, ut tamquam vi captam urbem diriperent; (14) neque ulla, quae in tali re memorabilis scribentibus videri solet, praetermissa clades est; adeo omne libidinis crudelitatisque et
235 inhumanae superbiae editum in miseros exemplum est. hae fuere hibernae expeditiones Hannibalis. <...>

(LXII. 1) Romae aut circa urbem multa ea hieme prodigia facta aut, quod evenire solet motis semel in religionem animis, multa nuntiata et temere credita sunt, (2) in quis ingenuum infantem semenstem in foro holitorio triumphum clamasse, (3) et <in> foro boario bovem in tertiam contignationem sua sponte escendisse atque inde tumultu habitatorum territum sese deiecisse, (4) et navium speciem de caelo adfulsisse, et aedem Spei, quae est in foro holitorio, fulmine ictam, et Lanuvi hastam se commovisse et corvum in aedem Iunonis devolasse atque in ipso pulvinari consedissee, (5) et in agro Amitemino multis locis hominum specie procul candida veste visos nec cum ullo congressos, et in Piceno lapidibus pluvisse, et Caere sortes extenuatas, et in Gallia lupum vigili gladium ex vagina raptum abstulisse. (6) ob cetera prodigia libros adire decemviri iussi; quod autem lapidibus pluvisset in Piceno, novendiale sacrum
240 edictum; et subinde aliis procurandis prope tota civitas operata fuit. (7) iam primum omnium urbs lustrata est hostiaeque maiores quibus editum est dis caesae, (8) et donum ex auri pondo quadraginta Lanuvium Iunoni portatum est et signum aeneum matronae Iunoni in Aventino dedicaverunt, et lectisternium Caere, ubi sortes attenuatae erant, imperatum, et supplicatio
245 Fortunae in Algido; (9) Romae quoque et lectisternium Iuventati et supplicatio ad aedem Herculis nominatim, deinde universo populo circa omnia pulvinaria indicta, et Genio maiores hostiae caesae quinque, (10) et C. Atilius Serranus praetor vota suscipere iussus, si in decem annos res publica eodem stetisset statu. (11) haec procurata vota ex libris
250 Sibyllinis magna ex parte levaverant religione animos.

(LXIII. 1) Consulum designatorum alter Flaminius, cui eae legiones quae Placentiae hibernabant sorte evenerant, edictum et litteras ad consulem misit ut is exercitus idibus Martiis Arimini adesset in castris. (2) hic in provincia consulatum inire consilium erat memori veterum certaminum cum patribus, quae tribunus plebis et quae postea consul prius de consulatu qui abrogabatur, dein de triumpho habuerat, (3) invisus etiam patribus ob novam legem, quam Q. Claudius tribunus plebis adversus senatum atque uno patrum adiuvante C. Flaminius tulerat, ne quis senator cuive senator pater fuisset maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. (4) id satis habitum ad fructus ex agris vectandos; quaestus omnis patribus indecorus visus. res per summam contentionem acta invidiam apud nobilitatem suasori legis Flaminius, favorem apud plebem alterumque inde consulatum peperit. (5) ob haec ratus auspiciis ementiendis Latinarumque feriarum mora et consularibus aliis impedimentis retenturos se in urbe, simulato itinere privatus clam in provinciam abiit. (6) ea res ubi palam facta est, novam insuper iram infestis iam ante patribus movit: non cum senatu modo sed iam cum dis immortalibus C. Flaminius bellum gerere. (7) consulem ante inauspicato factum revocantibus ex ipsa acie dis atque hominibus non paruisse; nunc conscientia spretorum et Capitolium et sollemnem votorum nuncupationem fugisse, (8) ne die initi magistratus Iovis optimi maximi templum adiret, ne senatum invisus ipse et sibi uni invisum videret consuleretque, ne Latinas indiceret Iovique Latari sollemne sacrum in monte faceret, (9) ne auspicato profectus in Capitolium ad vota nuncupanda, paludatus inde cum lictoribus in provinciam iret. lixae modo sine insignibus, sine lictoribus profectum clam, furtim, haud aliter quam si exsilio causa solum vertisset. (10) magis pro maiestate videlicet imperii Arimini quam Romae magistratum initutum et in deversorio hospitali quam apud penates suos praetextam sumpturum. (11) revocandum universi retrahendumque censuerunt et cogendum omnibus prius praesentem in deos hominesque fungi officiis quam ad exercitum et in provinciam iret. (12) in eam legationem – legatos enim mitti placuit – Q. Terentius et M. Antistius profecti nihilo magis eum moverunt quam priore consulatu litterae moverant ab senatu missae. (13) paucos post dies magistratum iniiit, immolantique ei vitulus iam ictus e manibus sacrificantium sese cum proripisset, multos circumstantes cruore respersit; fuga procul etiam maior apud ignaros (14) quid trepidaretur et concursatio fuit. id a plerisque in omen magni terroris acceptum. (15) legionibus inde duabus a Sempronio prioris anni consule, duabus a C. Atilio praetore acceptis Etruriam per Appennini tramites exercitus duci est coeptus. <...>

SEXTUS AURELIUS PROPERTIUS

Секст Аврелий Проперций (ок. 50 – ок. 15 гг. до н. э.) – римский элегический поэт. Входил в литературный кружок Гая Цильния Мецената, был другом Публия Овидия Назона. До нас дошло четыре книги «Элегий», посвященных возлюбленной поэта Гостии (Кинфии). Проперций с особой выразительностью описывает свою страсть, обращаясь к многочисленным мифологическим аллюзиям, придавая известным латинским словам новый оттенок и смысл.

Проперций мечтал быть римским Каллимахом, по примеру которого он противопоставлял элегическое искусство возвышенному эпическому стилю. Также с александрийскими поэтами его сближает широкое использование аллюзий. Язык элегий изобилует гречизмами и архаизмами. В средние века творчество поэта подверглось забвению. Эпоха Возрождения снова принесла ему известность.

Поэзия Секста Проперция оказала значительное влияние на литературный стиль И. Гете, что отразилось в его «Римских элегиях».

ELEGIAE*

LIBER PRIMUS

ELEGIA I

- 1 Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
contactum nullis ante cupidinibus.
tum mihi constantis deiecit lumina fastus
et caput impositis pressit Amor pedibus,
5 donec me docuit castas odisse puellas
improbis, et nullo vivere consilio.
ei mihi, iam toto furor hic non deficit anno,
cum tamen adversos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores

* Элегии приводятся по изданию: Sex. Propertius. Elegiae / ed. G. P. Goold. Harvard, 1990.

10 saevitiam durae contudit Iasidos.
nam modo Partheniis amens errabat in antris,
 rursus in hirsutas ibat et ille feras;
ille etiam Hylaei percussus vulnere rami
 saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
15 ergo velocem potuit domuisse puellam:
 tantum in amore fides et benefacta valent.
in me tardus Amor non ulla cogitat artes,
 nec meminit notas, ut prius, ire vias.
at vos, deductae quibus est pellacia lunae
20 et labor in magicis sacra piare focus,
en agedum dominae mentem convertite nostrae,
 et facite illa meo palleat ore magis!
tunc ego crediderim Manes et sidera vobis
 posse Cytinaeis ducere carminibus.
25 aut vos, qui sero lapsum revocatis, amici,
 quaerite non sani pectoris auxilia.
fortiter et ferrum saevos patiemur et ignes,
 sit modo libertas quae velit ira loqui.
ferte per extremas gentes et ferte per undas,
30 qua non ulla meum femina norit iter.
vos remanete, quibus facili deus annuit aure,
 sitis et in tuto semper amore pares.
nam me nostra Venus noctes exercet amaras,
 et nullo vacuus tempore defit Amor.
35 hoc, moneo, vitate malum: sua quemque moretur
 cura, neque assueto mutet amore torum.
quod si quis monitis tardas adverterit aures,
 heu referet quanto verba dolore mea!

ELEGIA XX

1 Hoc pro continuo te, Galle, monemus amore,
 quod tibi ne vacuo defluat ex animo:
saepe imprudenti fortuna occurrit amanti:
 crudelis Minyis sic erat Ascanius.
5 est tibi non infra specie, non nomine dispar,
 Theiodamanteo proximus ardor Hylae:
huic tu, sive leges Umbrae rate flumina silvae,
 sive Aniena tuos tinxerit unda pedes,
sive Gigantei spatia bere litoris ora,

10 sive ubicumque vago fluminis hospitio,
 Nympharum semper cupidas defende rapinas
 (non minor Ausoniis est amor Adryasin);
 ne tibi sit duros montes et frigida saxa,
 Galle, neque expertos semper adire lacus.
 15 quae miser ignotis error perpessus in oris
 Herculis indomito fleverat Ascanio.
 namque ferunt olim Pagasae navalibus Argo
 egressam longe Phasidos isse viam,
 et iam praeteritis labentem Athamantidos undis
 20 Mysorum scopulis applicuisse ratem.
 hic manus heroum, placidis ut constitit oris,
 mollia composita litora fronde tegit.
 at comes invicti iuvenis processerat ultra
 raram sepositi quaerere fontis aquam.
 25 hunc duo sectati fratres, Aquilonia proles
 (nunc superat Zetes, nunc superat Calais),
 oscula suspensis instabant carpere plantis,
 oscula et alterna ferre supina fuga.
 ille sed extrema pendentes ludit in ala
 30 et volucris ramo summovet insidias.
 iam Pandioniae cessit genus Orithyiae:
 ah dolor! ibat Hylas, ibat Hamadryasin.
 hic erat Arganthei Pege sub vertice montis,
 grata domus Nymphis umida Thyniasin,
 35 quam supra nulli pendebant debita curae
 roscida desertis poma sub arboribus,
 et circum irriguo surgebant lilia prato
 candida purpureis mixta papaveribus.
 quae modo decerpens tenero pueriliter ungui
 40 proposito florem praetulit officio,
 et modo formosis incumbens nescius undis
 errorem blandis tardat imaginibus.
 tandem haurire parat demissis flumina palmis
 innixus dextro plena trahens umero.
 45 cuius ut accensae Dryades candore puellae
 miratae solitos destituere choros
 prolapsam et leviter facili traxere liquore,
 tum sonitum rapti corpore fecit Hylas.
 cui procul Alcides ter «Hyla!» respondet: at illi

50 nomen ab extremis montibus aura refert.
his, o Galle, tuos monitus servabis amores,
formosum ni vis perdere rursus Hylan.

LIBER SECUNDUS

ELEGIA I

1 Quaeritis, unde mihi totiens scribantur amores,
unde meus veniat mollis in ora liber.
non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
ingenium nobis ipsa puella facit.
5 sive illam Cois fulgentem incedere vidi,
totum de Coa veste volumen erit;
seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
gaudet laudatis ire superba comis;
sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
10 miramur, facilis ut premat arte manus;
seu compescentis somnum declinat ocellos,
invenio causas mille poeta novas;
seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
tum vero longas condimus Iliadas:
15 seu quidquid fecit sive st quodcumque locuta,
maxima de nihilo nascitur historia.
quod mihi si tantum, Maecenas, fata dedissent,
ut possem heroas ducere in arma manus,
non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
20 impositam, ut caeli Pelion esset iter,
nec veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis et imperio bina coisse vada,
regnave prima Remi aut animos Carthaginis altae,
Cimbrorumque minas et benefacta Mari:
25 bellaque resque tui memorarem Caesaris, et tu
Caesare sub magno cura secunda fores.
nam quotiens Mutinam aut civilia busta Philippos
aut canerem Siculae classica bella fugae,
eversosque focos antiquae gentis Etruscae,
30 et Ptolemaeci litora capta Phari,
aut canerem Aegyptum et Nilum, cum attractus in urbem
septem captivis debilis ibat aquis,
aut regum auratis circumdata colla catenis,
Actiaque in Sacra currere rostra Via;

35 te mea Musa illis semper contexeret armis,
et sumpta et posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles,
hic Ixioniden, ille Menoetiaden;
[Caesaris et famae vestigia iuncta tenebis:
Maecenatis erunt vera tropaea fides.]
sed neque Phlegraeos Iovis Enceladique tumultus
40 intonet angusto pectore Callimachus,
nec mea conveniunt duro praecordia versu
Caesaris in Phrygios condere nomen avos.
navita de ventis, de tauris narrat arator,
enumerat miles vulnera, pastor oves;
45 nos contra angusto versamus proelia lecto:
qua pote quisque, in ea conterat arte diem.
laus in amore mori: laus altera, si datur uno
posse frui: fruar o solus amore meo,
[si memini, solet illa levis culpae puellas,
50 et totam ex Helena non probat Iliada.]
seu mihi sunt tangenda novercae pocula Phaedrae,
pocula privigno non nocitura suo,
seu mihi Circaeο pereundumst gramine, sive
Colchis Iolciacis urat aena focus.
55 una meos quoniam praedatast femina sensus,
ex hac ducentur funera nostra domo.
omnis humanos sanat medicina dolores:
solus amor morbi non amat artificem.
tarda Philoctetae sanavit crura Machaon,
60 Phoenicis Chiron lumina Phillyrides,
et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
restituit patriis Androgeona focus,
Mysus et Haemonia iuvenis qua cuspidē vulnus
senserat, hac ipsa cuspidē sensit opem.
65 hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantaleae poterit tradere poma manu;
dolia virgineis idem ille repleverit urnis,
ne tenera assidua colla graventur aqua;
idem Caucasia solvet de rupe Promethei

70 bracchia et a medio pectore pellet avem.
 quandocumque igitur vitam me fata reposcent,
 et breve in exiguo marmore nomen ero,
 Maecenas, nostrae spes invidiosa iuventae,
 et vitae et morti gloria iusta meae,
75 si te forte meo ducet via proxima busto,
 esseda caelatis siste Britanna iugis,
 taliaque illacrimans mutae iace verba favillae:
 «huic misero fatum dura puella fuit».

LIBER TERTIUS

ELEGIA I

1 Callimachi Manes et Coi sacra Philitae,
 in vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.
 primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
 Itala per Graios orgia ferre choros.
5 dicite, quo pariter carmen tenuastis in antro
 quove pede ingressi? quamve bibistis aquam?
 ah valeat, Phoebum quicumque moratur in armis!
 exactus tenui pumice versus eat,
 quo me Fama levat terra sublimis, et a me
10 nata coronatis Musa triumphat equis,
 et mecum in curru parvi vectantur Amores,
 scriptorumque meas turba secuta rotas.
 quid frustra immissis mecum certatis habenis?
 non datur ad Musas currere lata via.
15 multi, Roma, tuas laudes annalibus addent,
 qui finem imperii Bactra futura canent.
 sed, quod pace legas, opus hoc de monte Sororum
 detulit intacta pagina nostra via.
 mollia, Pegasides, date vestro sarta poetae:
20 non faciet capiti dura corona meo.
 at mihi quod vivo detraxerit invida turba,
 post obitum duplici faenore reddet Honos;
 omnia post obitum fingit maiora vetustas:
 maius ab exsequiis nomen in ora venit.

25 nam quis equo pulsas abiegnō nosceret arces,
 fluminaque Haemonio comminus isse viro,
 Idaeum Simoenta Iovis cum prole Scamandro,
 Hectora per campos ter maculasse rotas?
 Deiphobumque Helenumque et Pulydamantis in armis
 30 qualemcumque Parim vix sua nosset humus.
 exiguo sermone fores nunc, Ilion, et tu
 Troia bis Oetaei numine capta dei.
 nec non ille tui casus memorator Homerus
 posteritate suum crescere sensit opus;
 35 meque inter seros laudabit Roma nepotes:
 illum post cineres auguror ipse diem.
 ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro
 provisumst Lycio vota probante deo.

ELEGIA III

1 Visus eram molli recubans Heliconis in umbra,
 Bellerophontei qua fluit umor equi,
 reges, Alba, tuos et regum facta tuorum,
 tantum operis, nervis hiscere posse meis;
 5 parvaque iam magnis admoram fontibus ora
 (unde pater sitiens Ennius ante bibit,
 et cecinit Curios fratres et Horatia pila,
 regiaque Aemilia vecta tropaea rate,
 victricisque moras Fabii pugnamque sinistram
 10 Cannensem et versos ad pia vota deos,
 Hannibalemque Lares Romana sede fugantis,
 anseris et tutum voce fuisse Iovem),
 cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
 sic ait aurata nixus ad antra lyra:
 15 «quid tibi cum tali, demens, est flumine? quis te
 carminis heroi tangere iussit opus?
 non hinc ulla tibi sperandast fama, Properti:
 mollia sunt parvis prata terenda rotis;
 ut tuus in scamno iactetur saepe libellus,
 20 quem legat exspectans sola puella virum.
 cur tua praescriptos evectast pagina gyros?
 non est ingenii cumba gravanda tui.
 alter remus aquas alter tibi radat harenas,
 tutus eris: medio maxima turba marist».

25 dixerat, et plectro sedem mihi monstrat eburno,
 quo nova muscoso semita facta solost.
 hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
 pendebantque cavis tympana pumicibus,
 orgia Musarum et Sileni patris imago
 30 fictilis et calami, Pan Tegeae, tui;
 et Veneris dominae volucres, mea turba, columbae
 tingunt Gorgoneo punica rostra lacu;
 diversaeque novem sortitae iura Puellae
 exercent teneras in sua dona manus:
 35 haec hederas legit in thyrsos, haec carmina nervis
 aptat, at illa manu textit utraque rosam.
 e quarum numero me contigit una dearum
 (ut reor a facie, Calliopea fuit):
 «contentus niveis semper vectabere cynnis,
 40 nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
 nil tibi sit rauco praeconia classica cornu
 flare, nec Aonium tingere Marte nemus;
 aut quibus in campis Mariano proelia signo
 stent et Teutonicas Roma refringat opes,
 45 barbarus aut Suebo perfusus sanguine Rhenus
 saucia maerenti corpora vectet aqua.
 quippe coronatos alienum ad limen amantes
 nocturnaeque canes ebria signa morae,
 ut per te clausas sciat excantare puellas,
 50 qui volet austeros arte ferire viros».

talia Calliope, lymphisque a fonte petitis
 ora Philitea nostra rigavit aqua.

ELEGIA XI

1 Quid mirare, meam si versat femina vitam
 et trahit addictum sub sua iura virum,
 criminaque ignavi capitis mihi turpia fingis,
 quod nequeam fracto rumpere vincla iugo?
 5 ventorum melius praesagit navita morem,
 vulneribus didicit miles habere metum.
 ista ego praeterita iactavi verba iuventa:
 tu nunc exemplo disce timere meo.
 Colchis flagrantis adamantina sub iuga tauros

10 egit et armigera proelia sevit humo,
 custodisque feros clausit serpentis hiatus,
 iret ut Aesonias aurea lana domos.
 ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
 Maeotis Danaum Penthesilea rates;
 15 aurea cui postquam nudavit cassida frontem,
 vicit victorem candida forma virum.
 Omphale in tantum formae processit honorem,
 Lydia Gygaeo tincta puella lacu,
 ut, qui pacato statuisset in orbe columnas,
 tam dura traheret mollia pensa manu.
 20 Persarum statuit Babylona Semiramis urbem,
 ut solidum cocto tolleret aggere opus,
 et duo in adversum mitti per moenia currus
 nec possent tacto stringere ab axe latus;
 25 duxit et Euphraten medium, quam condidit, arcis,
 iussit et imperio subdere Bactra caput.
 nam quid ego heroas, quid raptem in crimina divos?
 Iuppiter infamat seque suamque domum.
 quid, modo quae nostris opprobria nexerit armis,
 30 et, famulos inter femina trita suos,
 coniugii obsceni pretium Romana poposcit
 moenia et addictos in sua regna Patres?
 noxia Alexandria, dolis aptissima tellus,
 et totiens nostro Memphi cruenta malo,
 35 tris ubi Pompeio detraxit harena triumphos –
 tollet nulla dies hanc tibi, Roma, notam.
 issent Phlegraeo melius tibi funera campo,
 vel tua si socero colla daturus eras.
 scilicet incesti meretrix regina Canopi,
 40 una Philippeo sanguine adusta nota,
 ausa Iovi nostro latrantem opponere Anubim,
 et Tiberim Nili cogere ferre minas,
 Romanamque tubam crepitanti pellere sistro,
 baridos et contis rostra Liburna sequi,
 45 foedaque Tarpeio conopia tendere saxo,
 iura dare et statuas inter et arma Mari!
 quid nunc Tarquinius fractas iuvat esse secures,
 nomine quem simili vita superba notat,
 si mulier patienda fuit? cane, Roma, triumphum

50 et longum Augusto salva precare diem!
fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
acceperere tuae Romula vincla manus.
bracchia spectasti sacris admorsa colubris,
et trahere occultum membra soporis iter.
55 «Non hoc, Roma, fui tanto tibi cive verenda!» –
dixit et assiduo lingua sepulta mero.
septem urbs alta iugis, toto quae praesidet orbi,
<stat non humana deicienda manu.>
Hannibalis spolia et victi monumenta Syphacis,
60 et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes?
Curtius expletis statuit monumenta lacunis,
admisso Decius proelia rupit equo,
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
est cui cognomen corvus habere dedit.
65 haec di condiderunt, haec di quoque moenia servant:
vix timeat salvo Caesare Roma Iovem.
nunc ubi Scipiadae classes, ubi signa Camilli,
aut modo Pompeia, Bospore, capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo:
70 tanti operis bellum sustulit una dies.
at tu, sive petes portus seu, navita, linques,
Caesaris in toto sis memor Ionio.

ALBIUS TIBULLUS

Альбий Тибулл (ок. 50–19 гг. до н. э.) – римский поэт, происходил из сословия всадников. Жил в Лации в своем имении, часть которого была отдана ветеранам императора Октавиана Августа. Тибулл дружил с Квинтом Горацием Флакком и Публием Овидием Назоном. Состоял в литературном кружке знаменитого полководца и писателя Корвина Мессалы, которого считал своим кумиром. Поэт сопровождал Мессалу в походах, прославлял его в своих стихах.

Тибулл оставил после себя две книги стихов. Первая посвящена Марию Валерию Мессале Корвину, вторая – двум возлюбленным Тибулла – Делии и Немесиде. Литературный язык Тибулла прост и ясен, метрика отточена. Именно поэтому Квинтилиан назвал поэта «отчищенным и в высшей степени изящным».

Творчество Тибулла оказало влияние на литературные стили Проперция и Овидия. Его лирикой восхищался И. Гете. На русский язык часть элегий Тибулла перевел К. Н. Батюшков, за что А. С. Пушкин назвал его «Тибуллом окрещенным».

ELEGIAE*

LIBER PRIMUS

ELEGIA III

- 1 Ibitis Aegaeas sine me, Messalla, per undas,
o utinam memores ipse cohorsque mei.
me tenet ignotis aegrum Phaeacia terris,
abstineas avidas, Mors, modo, nigra, manus.
- 5 abstineas, Mors atra, precor: non hic mihi mater
quae legat in maestos ossa perusta sinus,
non soror, Assyrios cineri quae dedat odores
et fleat effusis ante sepulcra comis,
Delia non usquam; quae me cum mitteret urbe,

* Элегии приводятся по изданию: *Albii Tibulli Aliorumque Carminum Libri Tres* / ed. F. W. Lenz, G. K. Galinsky. Leiden, 1971.

10 dicitur ante omnes consuluisse deos.
illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
 rettulit e trinis omina certa puer.
cuncta dabant reditus: tamen est deterrita numquam,
 quin fleret nostras respiceretque vias.
15 ipse ego solator, cum iam mandata dedissem,
 quaerebam tardas anxius usque moras.
aut ego sum causatus aves aut omina dira,
 Saturni sacram me tenuisse diem.
o quotiens ingressus iter mihi tristia dixi
20 offensum in porta signa dedisse pedem!
audeat invito ne quis discedere Amore,
 aut sciat egressum se prohibente deo.
quid tua nunc Isis mihi, Delia, quid mihi prosunt
 illa tua totiens aera repulsa manu,
25 quidve, pie dum sacra colis, pureque lavari
 te – memini – et puro secubuisse toro?
nunc, dea, nunc succurre mihi – nam posse mederi
 picta docet templis multa tabella tuis – ,
ut mea votivas persolvens Delia voces
30 ante sacras lino tecta fores sedeat
bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
 insignis turba debeat in Pharia.
at mihi contingat patrios celebrare Penates
 reddereque antiquo menstrua tura Lari.
35 quam bene Saturno vivebant rege, priusquam
 Tellus in longas est patefacta vias!
nondum caeruleas pinus contempserat undas,
 effusum ventis praebueratque sinum,
nec vagus ignotis repetens conpendia terris
40 presserat externa navita merce ratem.
illo non validus subiit iuga tempore taurus,
 non domito frenos ore momordit equus,
non domus ulla fores habuit, non fixus in agris,
 qui regeret certis finibus arva, lapis.
45 ipsae mella dabant quercus, ultroque ferebant
 obvia securis ubera lactis oves.
non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
 inimiti saevus duxerat arte faber.
nunc Iove sub domino caedes et vulnera semper,

50 nunc mare, nunc leti mille repente viae.
 parce, pater. timidum non me periuria terrent,
 non dicta in sanctos in pia verba deos.
 quodsi fatales iam nunc explevimus annos,
 fac lapis in scriptis stet super ossa notis:
 55 «hic iacet in miti consumptus morte Tibullus,
 Messallam terra dum sequiturque mari».
 sed me, quod facilis tenero sum semper Amori,
 ipsa Venus campos ducet in Elysios.
 hic choreae cantusque vigent, passimque vagantes
 60 dulce sonant tenui gutture carmen aves,
 fert casiam non culta seges, totosque per agros
 floret odoratis terra benigna rosis;
 ac iuvenum series teneris inmixta puellis
 ludit, et adsidue proelia miscet Amor.
 65 illic est, cuicumque rapax mors venit amanti,
 et gerit insigni myrtea sarta coma.
 at scelerata iacet sedes in nocte profunda
 abdita, quam circum flumina nigra sonant:
 Tisiphoneque in pexa feros pro crinibus angues
 70 saevit, et huc illuc in pia turba fugit.
 tum niger in porta serpentum Cerberus ore
 stridet et aeratas excubat ante fores.
 illic Iunonem temptare Ixionis ausi
 versantur celeri noxia membra rota,
 75 porrectusque novem Tityos per iugera terrae
 adsiduas atro viscere pascit aves.
 Tantalus est illic, et circum stagna, sed acrem
 iam iam poturi deserit unda sitim,
 et Danaï proles, Veneris quod numina laesit,
 80 in cava Lethaeas dolia portat aquas.
 illic sit, quicumque meos violavit amores,
 optavit lentas et mihi militias.
 at tu casta precor maneat, sanctique pudoris
 adsideat custos sedula semper anus.
 85 haec tibi fabellas referat positaque lucerna
 deducat plena stamina longa colu,
 at circa gravibus pensis adfixa puella
 paulatim somno fessa remittat opus.
 tum veniam subito, nec quisquam nuntiet ante,

90 sed videar caelo missus adesse tibi.
tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
 obvia nudato, Delia, curre pede.
hoc precor, hunc illum nobis Aurora nitentem
 Luciferum roseis candida portet equis.

ELEGIA IV

1 «Sic umbrosa tibi contingant tecta, Priape,
 ne capiti soles, ne noceantque nives:
 quae tua formosos cepit sollertia? certe
 non tibi barba nitet, non tibi culta coma est,
5 nudus et hibernae producis frigora brumae,
 nudus et aestivi tempora sicca Canis».
sic ego; tum Bacchi respondit rustica proles
 armatus curva sic mihi falce deus:
«o fuge te tenerae puerorum credere turbae,
10 nam causam iusti semper amoris habent.
hic placet, angustis quod equom conpescit habenis,
 hic placidam niveo pectore pellit aquam,
hic, quia fortis adest audacia, cepit; at illi
 virgineus teneras stat pudor ante genas.
15 sed ne te capiant, primo si forte negabit,
 taedia: paulatim sub iuga colla dabit.
longa dies homini docuit parere leones,
 longa dies molli saxa peredit aqua;
annus in apricis maturat collibus uvas,
20 annus agit certa lucida signa vice.
nec iurare time: Veneris periuria venti
 inrita per terras et freta summa ferunt.
gratia magna Iovi: vetuit pater ipse valere,
 iurasset cupide quicquid ineptus amor,
25 perque suas inpune sinit Dictynna sagittas
 adfirmes crines perque Minerva suos.
at si tardus eris, errabis: transiet aetas.
 quam cito non segnis stat remeatque dies,
 quam cito purpureos deperdit terra colores,
30 quam cito formosas populus alta comas!
quam iacet, infirmae venere ubi fata senectae,
 qui prior Eleo est carcere missus equos!
vidi iam iuvenem, premeret cum senior aetas,
 maerentem stultos praeteriisse dies.

35 crudeles divi! serpens novus exiit annos,
 formae non ullam fata dedere moram.
 solis aeterna est Baccho Phoeboque iuventas,
 nam decet intonsus crinis utrumque deum.
 tu, puero quodcumque tuo temptare libebit,
 40 cedas: obsequio plurima vincet amor.
 neu comes ire neges, quamvis via longa paretur
 et Canis arenti torreat arva siti,
 quamvis praetexens picta ferrugine caelum
 venturam anticipet imbrifer arcus aquam.
 45 vel si caeruleas puppi volet ire per undas,
 ipse levem remo per freta pelle ratem.
 nec te paeniteat duros subiisse labores
 aut opera insuetas adteruisse manus,
 nec, velit insidiis altas si claudere valles,
 50 dum placeas, umeri retia ferre negent.
 si volet arma, levi temptabis ludere dextra:
 saepe dabis nudum, vincat ut ille, latus.
 tum tibi mitis erit, rapias tum cara licebit
 oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit.
 55 rapta dabit primo, post adferet ipse roganti,
 post etiam collo se implicuisse velit.
 heu male nunc artes miseris haec saecula tractant:
 iam tener adsuevit munera velle puer.
 at tu, qui venerem docuisti vendere primus,
 60 quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.
 pieridas, pueri, doctos et amate poetas,
 aurea nec superent munera Pieridas.
 carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
 ex umero Pelopis non nituisset ebur.
 65 quem referent Musae, vivet, dum robora tellus,
 dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas.
 at qui non audit Musas, qui vendit amorem,
 idaeae currus ille sequatur Opis
 et tercentenas erroribus expleat urbes
 70 et secet ad Phrygios vilia membra modos.
 blanditiis volt esse locum Venus ipsa: querelis
 supplicibus, miseris fletibus illa favet».

haec mihi, quae canerem Titio, deus edidit ore,
 sed Titium coniunx haec meminisse vetat.

75 pareat ille suae; vos me celebrate magistrum,
 quos male habet multa callidus arte puer.
 gloria cuique sua est: me, qui spernentur, amantes
 consultent: cunctis ianua nostra patet.
 tempus erit, cum me Veneris praecepta ferentem
80 deducat iuvenum sedula turba senem.
 heu heu quam Marathus lento me torquet amore!
 deficiunt artes, deficiuntque doli.
 parce, puer, quaeso, ne turpis fabula fiam,
 cum mea ridebunt vana magisteria.

PUBLIUS OVIDIUS NASO

Публий Овидий Назон (43 г. до н. э. – 17/18 г. н. э.) – знаменитый римский поэт. Еще в молодости прославился своими поэмами, воспевающими любовь с ее наслаждениями и горестями, – «Любовные элегии», «Наука (искусство) любви», «Лекарство от любви», «Героиды». В зрелом возрасте Овидий создал две большие поэмы: «Метаморфозы», в которых представлена энциклопедия античной мифологии, и «Фасты», задуманные как календарь в стихах и повествующие о римских праздниках, обрядах, обычаях, их происхождении и названиях.

В 8 г. н. э. поэт неожиданно был сослан императором Октавианом Августом в далекий город Тома (совр. Констанца в Румынии). Причина его изгнания так и осталась неизвестной. Именно там Овидий создал «Скорбные элегии» (5 книг) и «Письма с Понта» (4 книги). Несмотря на многочисленные просьбы о помиловании, которые поэт посылал в Рим, ни Август, ни его наследник не позволили ему вернуться на родину. Публий Овидий Назон умер в Томах после 10 лет изгнания.

AMORES*

LIBER PRIMUS

I

- 1 Arma gravi numero violentaque bella parabam
edere, materia conveniente modis.
par erat inferior versus – risisse Cupido
dicitur atque unum surripuisse pedem.
- 5 «Quis tibi, saeve puer, dedit hoc in carmina iuris?
Pieridum vates, non tua turba sumus.
quid, si praeripiat flavae Venus arma Minervae,
ventilet accensas flava Minerva faces?
quis probet in silvis Cererem regnare iugosis,

* Фрагменты «Любовных элегий» приводятся по изданию: Ovid in Six Volumes / ed. G. Showerman, G. P. Goold. Cambridge, 1977. Vol. 1.

10 lege pharetratae Virginis arva colī?
 crinibus insignem quis acuta cuspidē Phoebum
 instruat, Aoniam Marte moventē lyram?
 sunt tibi magna, puer, nimiumque potentia regna;
 cur opus adfectas, ambitiose, novum?
 15 an, quod ubique, tuum est? tua sunt Heliconia tempe?
 vix etiam Phoebō iam lyra tuta sua est?
 cum bene surrexit versu nova pagina primo,
 attenuat nervos proximus ille meos;
 nec mihi materia est numeris levioribus apta,
 20 aut puer aut longas compta puella comas».

Questus eram, pharetra cum protinus ille soluta
 legit in exitium spicula facta meum,
 lunavitque genu sinuosum fortiter arcum,
 «quod» que «canas, vates, accipe, – dixit, – opus!»

25 Me miserum! certas habuit puer ille sagittas.
 uror, et in vacuo pectore regnat Amor.
 Sex mihi surgat opus numeris, in quinque residat:
 ferrea cum vestris bella valete modis!
 cingere litorea flaventia tempora myrto,
 30 Musa, per undenos emodulanda pedes!

II

1 Esse quid hoc dicam, quod tam mihi dura videntur
 strata, neque in lecto pallia nostra sedent,
 et vacuus somno noctem, quam longa, peregi,
 lassaque versati corporis ossa dolent?

5 nam, puto, sentirem, si quo temptarer amore.
 an subit et tecta callidus arte nocet?
 sic erit; haeserunt tenues in corde sagittae,
 et possessa ferus pectora versat Amor.
 Cedimus, an subitum luctando accendimus ignem?

10 cedamus! leve fit, quod bene fertur, onus.
 vidi ego iactatas mota face crescere flammās
 et rursus nullo concutiente mori.
 verbera plura ferunt, quam quos iuvat usus aratri,
 detractant prensi dum iuga prima boves.

15 asper equus duris contunditur ora lupatis,
 frena minus sentit, quisquis ad arma facit.
 acrius invitos multoque ferocius urget
 quam qui servitium ferre fatentur Amor.
 En ego confiteor! tua sum nova praeda, Cupido;

20 porrigimus victas ad tua iura manus.
nil opus est bello – veniam pacemque rogamus;
 nec tibi laus armis victus inermis ero.
 necte comam myrto, maternas iunge columbas;
 qui deceat, currum vitricus ipse dabit,
25 inque dato curru, populo clamante triumphum,
 stabis et adiunctas arte movebis aves.
 ducentur capti iuvenes captaeque puellae;
 haec tibi magnificus pompa triumphus erit.
 ipse ego, praeda recens, factum modo vulnus habebo
30 et nova captiva vincula mente feram.
 Mens Bona ducetur manibus post terga retortis,
 et Pudor, et castris quidquid Amoris obest.
 omnia te metuent; ad te sua bracchia tendens
 vulgus «io» magna voce «triumphe!» canet.
35 blanditiae comites tibi erunt Errorque Furorque,
 adsidue partes turba secuta tuas.
 his tu militibus superas hominesque deosque;
 haec tibi si demas commoda, nudus eris.
 Laeta triumphanti de summo mater Olympo
40 plaudet et adpositas sparget in ora rosas.
 tu pinnas gemma, gemma variante capillos
 ibis in auratis aureus ipse rotis.
 tunc quoque non paucos, si te bene novimus, ures;
 tunc quoque praeteriens vulnera multa dabis.
45 non possunt, licet ipse velis, cessare sagittae;
 fervida vicino flamma vapore nocet.
 talis erat domita Bacchus Gangetide terra;
 tu gravis alitibus, tigribus ille fuit.
 Ergo cum possim sacri pars esse triumphii,
50 parce tuas in me perdere, victor, opes!
 adspice cognati felicia Caesaris arma –
 qua vicit, victos protegit ille manu.

IX

1 Militat omnis amans, et habet sua castra Cupido;
 Attice, crede mihi, militat omnis amans.
 quae bello est habilis, Veneri quoque convenit aetas.
 turpe senex miles, turpe senilis amor.

5 quos petiere duces animos in milite forti,
hos petit in socio bella puella viro.
pervigilant ambo; terra requiescit uterque –
ille fores dominae servat, at ille ducis.
militis officium longa est via; mitte puellam,
10 strenuus exempto fine sequetur amans.
ibit in adversos montes duplicataque nimbo
flumina, congestas exeret ille nives,
nec freta pressurus tumidos causabitur Euros
aptaque verrendis sidera quaeret aquis.
15 quis nisi vel miles vel amans et frigora noctis
et denso mixtas perferet imbre nives?
mittitur infestos alter speculator in hostes;
in rivale oculos alter, ut hoste, tenet.
ille graves urbes, hic durae limen amicae
20 obsidet; hic portas frangit, at ille fores.
Saepe soporatos invadere profuit hostes
caedere et armata vulgus inerme manu.
sic fera Threicii ceciderunt agmina Rhesi,
et dominum capti deseruistis equi.
25 nempe maritorum somnis utuntur amantes,
et sua sopitis hostibus arma movent.
custodum transire manus vigilumque catervas
militis et miseri semper amantis opus.
Mars dubius nec certa Venus; victique resurgunt,
30 quosque neges umquam posse iacere, cadunt.
Ergo desidiam quicumque vocabat amorem,
desinat. ingenii est experientis amor.
ardet in abducta Briseide magnus Achilles –
dum licet, Argeas frangite, Troes, opes!
35 Hector ab Andromaches complexibus ibat ad arma,
et, galeam capiti quae daret, uxor erat.
summa ducum, Atrides, visa Priameide fertur
Maenadis effusis obstipuisse comis.
Mars quoque deprensus fabrilia vincula sensit;
40 notior in caelo fabula nulla fuit.
ipse ego segnis eram discinctaque in otia natus;
mollierant animos lectus et umbra meos.
inpulit ignavum formosae cura puellae
iussit et in castris aera merere suis.
45 inde vides agilem nocturnaue bella gerentem.
qui nolet fieri desidiosus, amet!

XV

1 Quid mihi Livor edax, ignavos obicis annos,
 ingeniique vocas carmen inertis opus;
 non me more patrum, dum strenua sustinet aetas,
 praemia militiae pulverulenta sequi,
 5 nec me verbosas leges ediscere nec me
 ingrato vocem prostituisse foro?
 Mortale est, quod quaeris, opus. mihi fama perennis
 quaeritur, in toto semper ut orbe canar.
 vivet Maeonides, Tenedos dum stabit et Ide,
 10 dum rapidas Simois in mare volvet aquas;
 vivet et Ascraeus, dum mustis uva tumebit,
 dum cadet incurva falce resecta Ceres.
 Battiades semper toto cantabitur orbe;
 quamvis ingenio non valet, arte valet.
 15 nulla Sophocleo veniet iactura cothurno;
 cum sole et luna semper Aratus erit;
 dum fallax servus, durus pater, inproba lena
 vivent et meretrix blanda, Menandros erit;
 Ennius arte carens animosique Accius oris
 20 casurum nullo tempore nomen habent.
 Varronem primamque ratem quae nesciet aetas,
 aureaque Aesonio terga petita duci?
 carmina sublimis tunc sunt peritura Lucreti,
 exitio terras cum dabit una dies;
 25 Tityrus et segetes Aeneiaque arma legentur,
 Roma triumphati dum caput orbis erit;
 donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
 discentur numeri, culte Tibulle, tui;
 Gallus et Hesperiiis et Gallus notus Eois,
 30 et sua cum Gallo nota Lycoris erit.
 Ergo, cum silices, cum dens patientis aratri
 depereant aevo, carmina morte carent.
 cedant carminibus reges regumque triumpho,
 cedat et auriferi ripa benigna Tagi!
 35 vilia miretur vulgus; mihi flavus Apollo
 pocula Castalia plena ministret aqua,
 sustineamque coma metuentem frigora myrtum,
 atque a sollicito multus amante legar!
 pascitur in vivis Livor; post fata quiescit,
 40 cum suus ex merito quemque tuetur honos.
 ergo etiam cum me supremus adederit ignis,
 vivam, parsque mei multa superstes erit.

LIBER TERTIUS

IX

1 Memnona si mater, mater ploravit Achillem,
et tangunt magnas tristia fata deas,
flebilis indignos, Elegia, solve capillos!
a, nimis ex vero nunc tibi nomen erit! –
5 ille tui vates operis, tua fama, Tibullus
ardet in extracto, corpus inane, rogo.
ecce, puer Veneris fert eversamque pharetram
et fractos arcus et sine luce facem;
adspice, demissis ut eat miserabilis alis
10 pectoraque infesta tundat aperta manu!
excipiunt lacrimas sparsi per colla capilli,
oraque singultu concutiente sonant.
fratris in Aeneae sic illum funere dicunt
egressum tectis, pulcher Iule, tuis;
15 nec minus est confusa Venus moriente Tibullo,
quam iuveni rupit cum ferus inguen aper.
at sacri vates et divum cura vocamur;
sunt etiam qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors inportuna profanat,
20 omnibus obscuras inicit illa manus!
quid pater Ismario, quid mater profuit Orphea?
carmine quid victas obstipuisse feras?
et Linon in silvis idem pater «aelinon!» altis
dicitur invita concinuisse lyra.
25 adice Maeoniden, a quo ceu fonte perenni
vatum Pieriis ora rigantur aquis –
hunc quoque summa dies nigro submersit Averno.
defugiunt avidos carmina sola rogos;
durant, vatis opus, Troiani fama laboris
30 tardaue nocturno tela retexta dolo.
sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
altera cura recens, altera primus amor.
Quid vos sacra iuvant? quid nunc Aegyptia prosunt
sistra? quid in vacuo secubuisse toro?
35 cum rapiunt mala fata bonos – ignoscite fasso! –
sollicitor nullos esse putare deos.
vive pius – moriere; pius cole sacra – colentem
mors gravis a templis in cava busta trahet;
carminibus confide bonis – iacet, ecce, Tibullus:

40 vix manet e toto, parva quod urna capit!
 tene, sacer vates, flammae rapuere rogales
 pectoribus pasci nec timuere tuis?
 aurea sanctorum potuissent templa deorum
 urere, quae tantum sustinuerunt nefas!
 45 avertit vultus, Erycis quae possidet arces;
 sunt quoque, qui lacrimas continuisse negant.
 Sed tamen hoc melius, quam si Phaeacia tellus
 ignotum vili supposuisset humo.
 hinc certe madidos fugientis pressit ocellos
 50 mater et in cineres ultima dona tulit;
 hinc soror in partem misera cum matre doloris
 venit inornatas dilaniata comas,
 cumque tuis sua iunxerunt Nemesisque priorque
 oscula nec solos destituere rogos.
 55 Delia discedens «felicius, – inquit, – amata
 sum tibi; vixisti, dum tuus ignis eram».
 cui Nemesis «quid, – ait, – tibi sunt mea damna dolori?
 me tenuit moriens deficiente manu».
 Si tamen e nobis aliquid nisi nomen et umbra
 60 restat, in Elysia valle Tibullus erit.
 obuius huic venias hedera iuvenalia cinctus
 tempora cum Calvo, docte Catulle, tuo;
 tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,
 sanguinis atque animae prodige Galle tuae.
 65 his comes umbra tua est; siqua est modo corporis umbra,
 auxisti numeros, culte Tibulle, pios.
 ossa quieta, precor, tuta requiescite in urna,
 et sit humus cineri non onerosa tuo!

HEROIDES*

I

PENELOPE ULIXI

1 Haec tua Penelope lento tibi mittit, Ulixē;
 nil mihi rescribas attinet: ipse veni!
 Troia iacet certe, Danais invisā puellis;
 vix Priamus tanti totaque Troia fuit.

* Фрагменты «Героид» приводятся по изданию: Ovid in Six Volumes / ed. G. Showerman, G. P. Goold. Cambridge, 1977. Vol. 1.

5 o utinam tum, cum Lacedaemona classe petebat,
 obrutus insanis esset adulter aquis!
 non ego deserto iacuissem frigida lecto,
 nec quererer tardos ire relicta dies;
 nec mihi quaerenti spatiosam fallere noctem
 10 lassaret viduas pendula tela manus.
 Quando ego non timui graviora pericula veris?
 res est solliciti plena timoris amor.
 in te fingebam violentos Troas ituros;
 nomine in Hectoreo pallida semper eram.
 15 sive quis Antilochum narrabat ab hoste revictum,
 Antilochus nostri causa timoris erat;
 sive Menoetiaden falsis cecidisse sub armis,
 flebam successu posse carere dolos.
 sanguine Tlepolemus Lyciam tepefellerat hastam;
 20 Tlepolemi leto cura novata mea est.
 denique, quisquis erat castris iugulatus Achivis,
 frigidius glacie pectus amantis erat.
 Sed bene consuluit casto deus aequus amori.
 versa est in cineres sospite Troia viro.
 25 Argolici rediere duces, altaria fumant;
 ponitur ad patrios barbara praeda deos.
 grata ferunt nymphae pro salvis dona maritis;
 illi victa suis Troica fata canunt.
 mirantur iustique senes trepidaeque puellae;
 30 narrantis coniunx pendet ab ore viri.
 atque aliquis posita monstrat fera proelia mensa,
 pingit et exiguo Pergama tota mero:
 «hac ibat Simois; haec est Sigeia tellus;
 hic steterat Priami regia celsa senis.
 35 illic Aeacides, illic tendebat Ulixes;
 hic lacer admissos terruit Hector equos».

Omnia namque tuo senior te quaerere misso
 rettulerat nato Nestor, at ille mihi.
 rettulit et ferro Rhesumque Dolonaque caesos,
 40 utque sit hic somno proditus, ille dolo.
 ausus es – o nimium nimiumque oblite tuorum! –
 Thracia nocturno tangere castra dolo
 totque simul mactare viros, adiutus ab uno!
 at bene cautus eras et memor ante mei!

45 usque metu micuere sinus, dum victor amicum
dictus es Ismariis isse per agmen equis.
Sed mihi quid prodest vestris disiecta lacertis
Ilios et, murus quod fuit, esse solum,
si maneo, qualis Troia durante manebam,
50 virque mihi dempto fine carendus abest?
diruta sunt aliis, uni mihi Pergama restant,
incola captivo quae bove victor arat.
iam seges est, ubi Troia fuit, reseccandaque falce
luxuriat Phrygio sanguine pinguis humus;
55 semiseputa virum curvis feriuntur aratris
ossa, ruinosas occulit herba domos.
victor abes, nec scire mihi, quae causa morandi,
aut in quo lateas ferreus orbe, licet!
Quisquis ad haec vertit peregrinam litora puppim,
60 ille mihi de te multa rogatus abit,
quamque tibi reddat, si te modo viderit usquam,
traditur huic digitis charta notata meis.
nos Pylon, antiqui Neleia Nestoris arva,
misimus; incerta est fama remissa Pylo.
65 misimus et Sparten; Sparte quoque nescia veri.
quas habitas terras, aut ubi lentus abes?
utilius starent etiamnunc moenia Phoebi –
irascor votis, heu, levis ipsa meis!
scirem ubi pugnares, et tantum bella timerem,
70 et mea cum multis iuncta querela foret.
quid timeam, ignoro – timeo tamen omnia demens,
et patet in curas area lata meas.
quaecumque aequor habet, quaecumque pericula tellus,
tam longae causas suspicor esse morae.
75 haec ego dum stulte metuo, quae vestra libido est,
esse peregrino captus amore potes.
forsitan et narres, quam sit tibi rustica coniunx,
quae tantum lanas non sinat esse rudes.
fallar, et hoc crimen tenues vanescat in auras,
80 neve, revertendi liber, abesse velis!
Me pater Icarius viduo discedere lecto
cogit et immensas increpat usque moras.
increpet usque licet – tua sum, tua dicar oportet;
Penelope coniunx semper Ulixis ero.

85 ille tamen pietate mea precibusque pudicis
frangitur et vires temperat ipse suas.
Dulichii Samiique et quos tulit alta Zacynthos,
turba ruunt in me luxuriosa proci,
inque tua regnant nullis prohibentibus aula;
90 viscera nostra, tuae dilacerantur opes.
quid tibi Pisandrum Polybumque Medontaque dirum
Eurymachique avidas Antinoique manus
atque alios referam, quos omnis turpiter absens
ipse tuo partis sanguine rebus alis?
95 Irus egens pecorisque Melanthius actor edendi
ultimus accedunt in tua damna pudor.
Tres sumus inbelles numero, sine viribus uxor
Laertesque senex Telemachusque puer.
ille per insidias paene est mihi nuper ademptus,
100 dum parat invitis omnibus ire Pylon.
di, precor, hoc iubeant, ut euntibus ordine fatis
ille meos oculos conprimat, ille tuos!
hac faciunt custosque boum longaevaue nutrix,
Tertius inmundae cura fidelis harae;
105 sed neque Laertes, ut qui sit inutilis armis,
hostibus in mediis regna tenere potest –
Telemacho veniet, vivat modo, fortior aetas;
nunc erat auxiliis illa tuenda patris –
nec mihi sunt vires inimicos pellere tectis.
110 tu citius venias, portus et ara tuis!
est tibi sitque, precor, natus, qui mollibus annis
in patrias artes erudiendus erat.
respice Laerten; ut tu sua lumina condas,
extremum fati sustinet ille diem.
115 Certe ego, quae fueram te discedente puella,
protinus ut venias, facta videbor anus.

IV

PHAEDRA HIPPOLYTO

1 Quam nisi tu dederis, caritura est ipsa, salutem
mittit Amazonio Cressa puella viro.
perlege, quodcumque est – quid epistula lecta nocebit?
te quoque in hac aliquid quod iuuet esse potest;

5 his arcana notis terra pelagoque feruntur.
inspicit acceptas hostis ab hoste notas.
Ter tecum conata loqui ter inutilis haesit
lingua, ter in primo restitit ore sonus.
qua licet et sequitur, pudor est miscendus amor;
10 dicere quae puduit, scribere iussit amor.
quidquid Amor iussit, non est contemnere tutum;
regnat et in dominos ius habet ille deos.
ille mihi primo dubitanti scribere dixit:
«scribe! dabit victas ferreus ille manus».
15 adsit et, ut nostras avido fovet igne medullas,
figat sic animos in mea vota tuos!
Non ego nequitia socialia foedera rumpam;
fama – velim quaeras – crimine nostra vacat.
venit amor gravius, quo serius – urimur intus;
20 urimur, et caecum pectora vulnus habent.
scilicet ut teneros laedunt iuga prima iuencos,
frenaque vix patitur de grege captus equus,
sic male vixque subit primos rude pectus amores,
sarcinaque haec animo non sedet apta meo.
25 ars fit, ubi a teneris crimen condiscitur annis;
cui venit exacto tempore, peius amat.
tu nova servatae capies libamina famae,
et pariter nostrum fiet uterque nocens.
est aliquid, plenis pomaria carpere ramis,
30 et tenui primam delegere ungue rosam.
si tamen ille prior, quo me sine crimine gessi,
candor ab insolita labe notandus erat,
at bene successit, digno quod adurimur igni;
peius adulterio turpis adulter obest.
35 si mihi concedat Iuno fratremque virumque,
Hippolytum videor praepositura Iovi!
Iam quoque – vix credes – ignotas mittor in artes;
est mihi per saevas impetus ire feras.
iam mihi prima dea est arcu praesignis adunco
40 Delia; iudicium subsequor ipsa tuum.
in nemus ire libet pressisque in retia cervis
hortari celeris per iuga summa canes,
aut tremulum excusso iaculum vibrare lacerto,
aut in graminea ponere corpus humo.

45 saepe iuvat versare leves in pulvere currus
 torquentem frenis ora fugacis equi;
 nunc feror, ut Bacchi furiis Eleleides actae,
 quaeque sub Idaeo tympana colle movent,
 aut quas semideae Dryades Faunisque bicornes
 50 numine contactas attonuere suo.
 namque mihi referunt, cum se furor ille remisit,
 omnia; me tacitam conscius urit amor.
 Forsitan hunc generis fato reddamus amorem,
 et Venus ex tota gente tributa petat.
 55 Iuppiter Europen – prima est ea gentis origo –
 dilexit, tauro dissimulante deum.
 Pasiphae mater, decepto subdita tauro,
 enixa est utero crimen onusque suo.
 perfidus Aegides, ducentia fila secutus,
 60 curva meae fugit tecta sororis ope.
 en, ego nunc, ne forte parum Minoia credar,
 in socias leges ultima gentis eo!
 hoc quoque fatale est: placuit domus una duabus;
 me tua forma capit, capta parente soror.
 65 Thesides Theseusque duas rapuere sorores –
 ponite de nostra bina tropaea domo!
 Tempore quo nobis inita est Cerealis Eleusin,
 Gnosia me vellem detinuisset humus!
 tunc mihi praecipue (nec non tamen ante placebas)
 70 acer in extremis ossibus haesit amor.
 candida vestis erat, praecincti flore capilli,
 flava verecundus tinxerat ora rubor,
 quemque vocant aliae vultum rigidumque trucemque,
 pro rigido Phaedra iudice fortis erat.
 75 sint procul a nobis iuvenes ut femina compti! –
 fine coli modico forma virilis amat.
 te tuus iste rigor positique sine arte capilli
 et levis egregio pulvis in ore decet.
 sive ferocis equi luctantia colla recurvas,
 80 exiguo flexos miror in orbe pedes;
 seu lentum valido torques hastile lacerto,
 ora ferox in se versa lacertus habet,
 sive tenes lato venabula cornea ferro.
 denique nostra iuvat lumina, quidquid agis.

85 Tu modo duritiam silvis depone iugosis;
 non sum militia digna perire tua.
 quid iuvat incinctae studia exercere Dianae,
 et Veneri numeros eripuisse suos?
 quod caret alterna requie, durable non est;
 90 haec reparat vires fessaque membra novat.
 arcus – et arma tuae tibi sunt imitanda Dianae –
 si numquam cesses tendere, mollis erit.
 clarus erat silvis Cephalus, multaeque per herbas
 concliderant illo percutiente ferae;
 95 nec tamen Aurorae male se praebebat amandum.
 ibat ad hunc sapiens a sene diva viro.
 saepe sub ilicibus Venerem Cinyraque creatum
 sustinuit positos quaelibet herba duos.
 arsit et Oenides in Maenalia Atalanta;
 100 illa ferae spoliū pignus amoris habet.
 nos quoque quam primum turba numeremur in ista!
 si Venerem tollas, rustica silva tua est.
 ipsa comes veniam, nec me latebrosa movebunt
 saxa neque obliquo dente timendus aper.
 105 Aequora bina suis obpugnant fluctibus isthmon,
 et tenuis tellus audit utrumque mare.
 hic tecum Troezena colam, Pittheia regna;
 iam nunc est patria carior illa mea.
 tempore abest aberitque diu Neptunius heros;
 110 illum Pirithoi detinet ora sui.
 praeposuit Theseus – nisi si manifesta negamus –
 Pirithoum Phaedrae Pirithoumque tibi.
 sola nec haec ad nos iniuria venit ab illo;
 in magnis laesi rebus uterque sumus.
 115 ossa mei fratris clava perfracta trinodi
 sparsit humi; soror est praeda relicta feris.
 prima securigeras inter virtute puellas
 te peperit, nati digna vigore parens;
 si quaeras, ubi sit – Theseus latus ense peregit,
 120 nec tanto mater pignore tuta fuit.
 at ne nupta quidem taedaeque accepta iugali –
 cur, nisi ne caperes regna paterna nothus?
 addidit et fratres ex me tibi, quos tamen omnis
 non ego tollendi causa, sed ille fuit.

125 o utinam nocitura tibi, pulcherrime rerum,
 in medio nisu viscera rupta forent!
 i nunc, sic meriti lectum reverere parentis –
 quem fugit et factis abdicat ipse suis!
 Nec, quia privigno videar coitura noverca,
 130 terruerint animos nomina vana tuos.
 ista vetus pietas, aevo moritura futuro,
 rustica Saturno regna tenente fuit.
 Iuppiter esse pium statuit, quodcumque iuvaret,
 et fas omne facit fratre marita soror.
 135 illa coit firma generis iunctura catena,
 inposuit nodos cui Venus ipsa suos.
 nec labor est celare, licet peccemus, amorem.
 cognato poterit nomine culpa tegi.
 viderit amplexos aliquis, laudabimur ambo;
 140 dicar privigno fida noverca meo.
 non tibi per tenebras duri reseranda mariti
 ianua, non custos decipiendus erit;
 ut tenuit domus una duos, domus una tenebit;
 oscula aperta dabas, oscula aperta dabis;
 145 tutus eris mecum laudemque merebere culpa,
 tu licet in lecto conspiciare meo.
 tolle moras tantum properataque foedera iunge –
 qui mihi nunc saevit, sic tibi parcat Amor!
 non ego dedignor supplex humilisque precari.
 150 heu! ubi nunc fastus altaque verba iacent?
 et pugnare diu nec me submittere culpae
 certa fui – certi siquid haberet amor;
 victa precor genibusque tuis regalia tendo
 bracchia! quid deceat, non videt ullus amans.
 155 depudui, profugusque pudor sua signa reliquit.
 Da veniam fasse duraque corda doma!
 quod mihi sit genitor, qui possidet aequora, Minos,
 quod veniant proavi fulmina torta manu,
 quod sit avus radiis frontem vallatus acutis,
 160 purpureo tepidum qui movet axe diem –
 nobilitas sub amore iacet! miserere priorum
 et, mihi si non vis parcere, parce meis!
 est mihi dotalis tellus Iovis insula, Crete –
 serviat Hippolyto regia tota meo!

165 Flecte, ferox, animos! potuit corrumpere taurum
 mater; eris tauro saevior ipse truci?
 per Venerem, parcas, oro, quae plurima mecum est!
 sic numquam, quae te spernere possit, ames;
 sic tibi secretis agilis dea saltibus adsit,
 170 silvaeque perdendas praebeat alta feras;
 sic faveant Satyri montanaque numina Panes,
 et cadat adversa cuspide fossus aper;
 sic tibi dent Nymphae, quamvis odisse puellas
 diceris, arentem quae levet unda sitim!
 175 Addimus his precibus lacrimas quoque; verba precantis
 qui legis, et lacrimas finge videre meas!

VII DIDO AENEAE

1 Sic ubi fata vocant, udis abiectus in herbis
 ad vada Maeandri concinit albus olor.
 Nec quia te nostra sperem prece posse moveri,
 adloquor – adverso movimus ista deo;
 5 sed merita et famam corpusque animumque pudicum
 cum male perdiderim, perdere verba leve est.
 Certus es ire tamen miseramque relinquere Dido,
 atque idem venti vela fidemque ferent?
 certus es, Aenea, cum foedere solvere naves,
 10 quaeque ubi sint nescis, Itala regna sequi?
 nec nova Carthago, nec te crescentia tangunt
 moenia nec sceptro tradita summa tuo?
 facta fugis, facienda petis; quaerenda per orbem
 altera, quaesita est altera terra tibi.
 15 ut terram invenias, quis eam tibi tradet habendam?
 quis sua non notis arva tenenda dabit?
 scilicet alter amor tibi restat et altera Dido;
 quamque iterum fallas altera danda fides.
 quando erit, ut condas instar Carthaginis urbem
 20 et videas populos altus ab arce tuos?
 omnia ut eveniant, nec te tua vota morentur,
 unde tibi, quae te sic amet, uxor erit?
 Uror, ut inducto ceratae sulphure taedae,
 ut pia fumosis addita tura focus.

25 Aeneas oculis semper vigilantis inhaeret;
 Aenean animo noxque quiesque refert.
 ille quidem male gratus et ad mea munera surdus,
 et quo, si non sim stulta, carere velim;
 non tamen Aenean, quamvis male cogitat, odi,
 30 sed queror infidum quæstaque peius amo.
 parce, Venus, nurui, durumque amplectere fratrem,
 frater Amor, castris militet ille tuis!
 aut ego, quæ coepi, (neque enim dedignor) amorem,
 materiam curæ præbeat ille meae!
 35 Fallor, et ista mihi falso iactatur imago;
 matris ab ingenio dissidet ille suae.
 te lapis et montes innataque rupibus altis
 robora, te saevæ progenuere ferae,
 aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis,
 40 qua tamen adversis fluctibus ire paras.
 quo fugis? obstat hiemps. hiemis mihi gratia prosit!
 adspice, ut eversas concitet Eurus aquas!
 quod tibi malueram, sine me debere procellis;
 iustior est animo ventus et unda tuo.
 45 Non ego sum tanti – quid non censeris inique? –
 ut pereas, dum me per freta longa fugis.
 exerces pretiosa odia et constantia magno,
 si, dum me careas, est tibi vile mori.
 iam venti ponent, strataque aequaliter unda
 50 caeruleis Triton per mare curret equis.
 tu quoque cum ventis utinam mutabilis esses!
 et, nisi durtia robora vincis, eris.
 quid, quasi nescires, insana quid aequora possint,
 expertæ totiens tam male credis aquae?
 55 ut, pelago suadente viam, retinacula solvas,
 multa tamen latus tristia pontus habet.
 nec violasse fidem temptantibus aequora prodest;
 perfidiae poenas exigit ille locus,
 præcipue cum laesus amor, quia mater Amorum
 60 nuda Cytheriacis edita fertur aquis.
 Perdita ne perdam, timeo, noceamve nocenti,
 neu bibat aequoreas naufragus hostis aquas.
 vive, precor! sic te melius quam funere perdam.
 tu potius leti causa ferere mei.

65 finge, age, te rapido – nullum sit in omine pondus! –
 turbine deprendi; quid tibi mentis erit?
 protinus occurrent falsae periuria linguae,
 et Phrygia Dido fraude coacta mori;
 coniugis ante oculos deceptae stabit imago
 70 tristis et effusis sanguinolenta comis.
 quid tanti est ut tum ‘merui! concedite!’ dicas,
 quaeque cadent, in te fulmina missa putes?
 Da breve saevitiae spatium pelagique tuaeque;
 grande morae pretium tuta futura via est.
 75 haec minus ut cures, puero parcatur Iulo!
 te satis est titulum mortis habere meae.
 quid puer Ascanius, quid di meruere Penates?
 ignibus ereptos obruet unda deos?
 sed neque fers tecum, nec, quae mihi, perfide, iactas,
 80 presserunt umeros sacra paterque tuos.
 omnia mentiris, neque enim tua fallere lingua
 incipit a nobis, primaque plector ego.
 si quaeras, ubi sit formosi mater Iuli –
 occidit a duro sola relicta viro!
 85 haec mihi narraras – sat me monuere! merentem
 ure; minor culpa poena futura mea est.
 Nec mihi mens dubia est, quin te tua numina damnent.
 per mare, per terras septima iactat hiemps.
 fluctibus eiectum tuta statione recepi
 90 vixque bene audito nomine regna dedi.
 his tamen officiis utinam contenta fuisset,
 et mihi concubitus fama sepulta foret!
 illa dies nocuit, qua nos declive sub antrum
 caeruleus subitis compulit imber aquis.
 95 audieram vocem; nymphas ululasse putavi –
 Eumenides fati signa dedere mei!
 Exige, laese pudor, poenas! violate Sychaei
 ad quas, me miseram, plena pudoris eo.
 est mihi marmorea sacratus in aede Sychaeus –
 100 oppositae frondes velleraque alba tegunt.
 hinc ego me sensi noto quater ore citari;
 ipse sono tenui dixit «Elissa, veni!»
 Nulla mora est, venio, venio tibi debita coniunx;
 sum tamen admissi tarda pudore mei.

105 da veniam culpae! decepit idoneus auctor;
 invidiam noxae detrahit ille meae.
 diva parens seniorque pater, pia sarcina nati,
 spem mihi mansuri rite dedere viri.
 si fuit errandum, causas habet error honestas;
 110 adde fidem, nulla parte pigendus erit.
 Durat in extremum vitaeque novissima nostrae
 prosequitur fati, qui fuit ante, tenor.
 occidit internas coniunx mactatus ad aras,
 et sceleris tanti praemia frater habet;
 115 exul agor cineresque viri patriamque relinquo,
 et feror in dubias hoste sequente vias.
 adplicor his oris fratricumque elapsa fretoque
 quod tibi donavi, perfide, litus emo.
 urbem constitui lateque patentia fixi
 120 moenia finitimis invidiosa locis.
 bella tument; bellis peregrina et femina temptor,
 vixque rudis portas urbis et arma paro.
 mille procis placui, qui me coiere querentes
 nescio quem thalamis praeposuisse suis.
 125 quid dubitas vinctam Gaetulo tradere Iarbae?
 praebuerim sceleri brachia nostra tuo.
 est etiam frater, cuius manus in pia poscit
 respergi nostro, sparsa cruore viri.
 pone deos et quae tangendo sacra profanas!
 130 non bene caelestis in pia dextra colit.
 si tu cultor eras elapsis igne futurus,
 paenitet elapsos ignibus esse deos.
 Forsitan et gravidam Dido, scelerate, relinquo,
 parsque tui lateat corpore clausa meo.
 135 accedet fati matris miserabilis infans,
 et nondum nato funeris auctor eris,
 cumque parente sua frater morietur Iuli,
 poenaeque conexos auferet una duos.
 «Sed iubet ire deus». vellem, vetuisset adire,
 140 Punica nec Teucris pressa fuisset humus!
 hoc duce nempe deo ventis agitaris iniquis
 et teris in rabido tempora longa freto?
 Pergama vix tanto tibi erant repetenda labore,
 Hectore si vivo quanta fuere forent.

145 non patrium Simoenta petis, sed Thybridis undas –
 nempe ut pervenias, quo cupis, hospes eris;
 utque latet vitatque tuas abstrusa carinas,
 vix tibi continget terra petita seni.
 Hos potius populos in dotem, ambage remissa,
 150 accipe et advectas Pygmalionis opes.
 Ilion in Tyriam transfer felicius urbem
 resque loco regis sceptraque sacra tene!
 si tibi mens avida est belli, si quaerit Iulus,
 unde suo partus Marte triumphus eat,
 155 quem superet, nequid desit, praebebimus hostem;
 hic pacis leges, hic locus arma capit.
 tu modo, per matrem fraternaue tela, sagittas,
 perque fugae comites, Dardana sacra, deos –
 sic superent, quoscumque tua de gente reportat
 160 Mars ferus, et damni sit modus ille tui,
 Ascaniusque suos feliciter inpleat annos,
 et senis Anchisae molliter ossa cubent! –
 parce, precor, domui, quae se tibi tradit habendam!
 quod crimen dicis praeter amasse meum?
 165 non ego sum Pthias magnisque oriunda Mycenis,
 nec steterunt in te virque paterque meus.
 si pudet uxoris, non nupta, sed hospita dicar;
 dum tua sit, Dido quidlibet esse feret.
 Nota mihi freta sunt Afrum plangentia litus;
 170 temporibus certis dantque negantque viam.
 cum dabit aura viam, praebebis carbasa ventis;
 nunc levis eiectam continet alga ratem.
 tempus ut observem, manda mihi; certius ibis,
 nec te, si cupies, ipsa manere sinam.
 175 et socii requiem poscunt, laniataque classis
 postulat exiguas semirefecta moras;
 pro meritis et siqua tibi debebimus ultra,
 pro spe coniugii tempora parva peto –
 dum freta mitescunt et amor, dum tempore et usu
 180 fortiter edisco tristia posse pati.
 Si minus, est animus nobis effundere vitam;
 in me crudelis non potes esse diu.
 adspicias utinam, quae sit scribentis imago!
 scribimus, et gremio Troicus ensis adest,

185 perque genas lacrimae strictum labuntur in ense,
qui iam pro lacrimis sanguine tinctus erit.
quam bene conveniunt fato tua munera nostro!
instruis impensa nostra sepulcra brevi.
nec mea nunc primum feriuntur pectora telo;
190 ille locus saevi vulnus amoris habet.
Anna soror, soror Anna, meae male conscia culpae,
iam dabis in cineres ultima dona meos.
nec consumpta rogis inscribar Elissa Sychaei,
hoc tantum in tumuli marmore carmen erit:
195 Praebuit Aeneas et causam mortis et ense;
ipsa sua Dido concidit usa manu.

METAMORPHOSES*

LIBER PRIMUS

<QUATTUOR AETATES MUNDI>

89 <...>Aurea prima sata est aetas, quae vindice nullo,
90 sponte sua, sine lege fidem rectumque colebat.
poena metusque aberant, nec verba minantia fixo
aere legebantur, nec supplex turba timebat
iudicis ora sui, sed erant sine vindice tuti.
nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem,
95 montibus in liquidas pinus descenderat undas,
nullaque mortales praeter sua litora norant;
nondum praecipites cingebant oppida fossae;
non tuba directi, non aeris cornua flexi,
non galeae, non ensis erat: sine militis usu
100 mollia securae peragebant otia gentes.
ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis
saucia vomeribus per se dabat omnia tellus,
contentique cibus nullo cogente creatis
arbuteos fetus montanaque fraga legebant

* Фрагменты поэмы «Метаморфозы» приводятся по изданию: Ovid. *Metamorphoses in Two Volumes* / ed. F. J. Miller, G. P. Goold. Cambridge, London, 1977–1984.

105 cornaque et in duris haerentia mora rubetis
 et quae deciderant patula Iovis arbore glandes.
 ver erat aeternum, placidique tepentibus auris
 mulcebant zephyri natos sine semine flores;
 110 mox etiam fruges tellus inarata ferebat,
 nec renovatus ager gravidis canebat aristis;
 flumina iam lactis, iam flumina nectaris ibant,
 flavaque de viridi stillabant ilice mella.

Postquam Saturno tenebrosa in Tartara misso
 sub Iove mundus erat, subiit argentea proles,
 115 auro deterior, fulvo pretiosior aere.
 Iuppiter antiqui contraxit tempora veris
 perque hiemes aestusque et inaequalis autumnos
 et breve ver spatiis exegit quattuor annum.
 tum primum siccis aer fervoribus ustus
 120 canduit, et ventis glacies adstricta pependit;
 tum primum subiere domos; domus antra fuerunt
 et densi frutices et vinctae cortice virgae.
 semina tum primum longis Cerealia sulcis
 obruta sunt, pressique iugo gemuere iuveni.

125 Tertia post illam successit aenea proles,
 saevior ingeniis et ad horrida promptior arma,
 non scelerata tamen; de duro est ultima ferro.
 protinus inrupit venae peioris in aevum
 omne nefas: fugere pudor verumque fidesque;
 130 in quorum subiere locum fraudesque dolusque
 insidiaeque et vis et amor sceleratus habendi.
 vela dabant ventis nec adhuc bene noverat illos
 navita, quaeque prius steterant in montibus altis,
 fluctibus ignotis insultavere carinae,
 135 communemque prius ceu lumina solis et auras
 cautus humum longo signavit limite mensor.
 nec tantum segetes alimenta que debita dives
 poscebatur humus, sed itum est in viscera terrae,
 quasque recondiderat Stygiisque admoverat umbris,
 140 effodiuntur opes, inritamenta malorum.
 iamque nocens ferrum ferroque nocentius aurum
 prodierat, prodit bellum, quod pugnat utroque,
 sanguineaque manu crepitantia concutit arma.
 vivitur ex raptis: non hospes ab hospite tutus,

145 non socer a genero, fratrum quoque gratia rara est;
inminet exitio vir coniugis, illa mariti,
lurida terribiles miscent aconita novercae,
filius ante diem patrios inquiri in annos:
victa iacet pietas, et virgo caede madentis
150 ultima caelestum terras Astraea reliquit. <...>

<DAPHNE>

452 <...> Primus amor Phoebi Daphne Peneia, quem non
fors ignara dedit, sed saeva Cupidinis ira,
Delius hunc nuper, victa serpente superbus,
455 viderat adducto flectentem cornua nervo
«quid» que «tibi, lascive puer, cum fortibus armis?»
dixerat: «ista decent umeros gestamina nostros,
qui dare certa ferae, dare vulnera possumus hosti,
qui modo pestifero tot iugera ventre prementem
460 stravimus innumeris tumidum Pythona sagittis.
tu face nescio quos esto contentus amores
inritare tua, nec laudes adsere nostras!»
filius huic Veneris «figat tuus omnia, Phoebe,
te meus arcus, – ait. – quantoque animalia cedunt
465 cuncta deo, tanto minor est tua gloria nostra».
dixit et eliso percussis aere pennis
inpiger umbrosa Parnasi constitit arce
eque sagittifera prompsit duo tela pharetra
diversorum operum: fugat hoc, facit illud amorem;
470 quod facit, auratum est et cuspide fulget acuta,
quod fugat, obtusum est et habet sub harundine plumbum.
hoc deus in nympha Peneide fixit, at illo
laesit Apollineas traiecta per ossa medullas;
protinus alter amat, fugit altera nomen amantis
475 silvarum latebris captivarumque ferarum
exuviis gaudens innuptaeque aemula Phoebes:
vitta coercebat positos sine lege capillos.
multi illam petiere, illa aversata petentes
inpatiens expersque viri nemora avia lustrat
480 nec, quid Hymen, quid Amor, quid sint conubia curat.
saepe pater dixit: «generum mihi, filia, debes»,
saepe pater dixit: «debes mihi, nata, nepotes»;
illa velut crimen taedas exosa iugales
pulchra verecundo suffuderat ora rubore

485 inque patris blandis haerens cervice lacertis
 «da mihi perpetua, genitor carissime, – dixit, –
 virginitate frui! dedit hoc pater ante Dianae».

ille quidem obsequitur, sed te decor iste quod optas
 esse vetat, votoque tuo tua forma repugnat.

490 Phoebus amat visaeque cupit conubia Daphnes,
 quodque cupit, sperat, suaque illum oracula fallunt,
 utque leves stipulae demptis adolentur aristis,
 ut facibus saepes ardent, quas forte viator
 vel nimis admovit vel iam sub luce reliquit,

495 sic deus in flammis abiit, sic pectore toto
 uritur et sterilem sperando nutrit amorem.
 spectat inornatos collo pendere capillos
 et «quid, si comantur?» – ait. videt igne micantes
 sideribus similes oculos, videt oscula, quae non

500 est vidisse satis; laudat digitosque manusque
 brachiaque et nudos media plus parte lacertos;
 si qua latent, meliora putat. fugit ocior aura
 illa levi neque ad haec revocantis verba resistit:
 «nympha, precor, Penei, mane! non insequor hostis;

505 nympha, mane! sic agna lupum, sic cerva leonem,
 sic aquilam penna fugiunt trepidante columbae,
 hostes quaeque suos: amor est mihi causa sequendi!
 me miserum! ne prona cadas indignave laedi
 crura notent sentes et sim tibi causa doloris!

510 aspera, qua properas, loca sunt: moderatius, oro,
 curre fugamque inhibe, moderatius insequar ipse.
 cui placeas, inquire tamen: non incola montis,
 non ego sum pastor, non hic armenta gregesque
 horridus observo. nescis, temeraria, nescis,

515 quem fugias, ideoque fugis: mihi Delphica tellus
 et Claros et Tenedos Patareaque regia servit;
 Iuppiter est genitor; per me, quod eritque fuitque
 estque, patet; per me concordant carmina nervis.
 certa quidem nostra est, nostra tamen una sagitta

520 certior, in vacuo quae vulnera pectore fecit!
 inventum medicina meum est, opiferque per orbem
 dicor, et herbarum subiecta potentia nobis.
 ei mihi, quod nullis amor est sanabilis herbis
 nec prosunt domino, quae prosunt omnibus, artes!»

525 Plura locuturum timido Peneia cursu
 fugit cumque ipso verba imperfecta reliquit,
 tum quoque visa decens; nudabant corpora venti,
 obviaque adversas vibrabant flamina vestes,
 et levis impulsos retro dabat aura capillos,
 530 auctaque forma fuga est. sed enim non sustinet ultra
 perdere blanditias iuvenis deus, utque monebat
 ipse Amor, admisso sequitur vestigia passu.
 ut canis in vacuo leporem cum Gallicus arvo
 vidit, et hic praedam pedibus petit, ille salutem;
 535 alter inhaesuro similis iam iamque tenere
 sperat et extento stringit vestigia rostro,
 alter in ambiguo est, an sit comprehensus, et ipsis
 morsibus eripitur tangentiaque ora relinquit:
 sic deus et virgo est hic spe celer, illa timore.
 540 qui tamen insequitur pennis adiutus Amoris,
 ocior est requiemque negat tergoque fugacis
 inminet et crinem sparsum cervicibus adflat.
 viribus absumptis expalluit illa citaeque
 victa labore fugae spectans Peneidas undas
 545 «fer, pater, – inquit, – opem! si flumina numen habetis,
 547 qua nimium placui, mutando perde figuram!»
 vix prece finita torpor gravis occupat artus,
 mollia cinguntur tenui praecordia libro,
 550 in frondem crines, in ramos braccia crescunt,
 pes modo tam velox pigris radicibus haeret,
 ora cacumen habet: remanet nitor unus in illa.
 Hanc quoque Phoebus amat positaque in stipite dextra
 sentit adhuc trepidare novo sub cortice pectus
 555 complexusque suis ramos ut membra lacertis
 oscula dat ligno; refugit tamen oscula lignum.
 cui deus «at, quoniam coniunx mea non potes esse,
 arbor eris certe, – dixit, – mea! semper habebunt
 te coma, te citharae, te nostrae, laure, pharetrae;
 560 tu ducibus Latiis aderis, cum laeta Triumphum
 vox canet et visent longas Capitolia pompas;
 postibus Augustis eadem fidissima custos
 ante fores stabis mediamque tuebere quercum,
 utque meum intonsis caput est iuvenale capillis,
 565 tu quoque perpetuos semper gere frondis honores!»
 finierat Paeon: factis modo laurea ramis
 adnuit utque caput visa est agitasse cacumen. <...>

LIBER QUARTUS

<PYRAMUS ET THISBE>

- 55 <...> «Pyramus et Thisbe, iuvenum pulcherrimus alter,
altera, quas Oriens habuit, praelata puellis,
contiguas tenuere domos, ubi dicitur altam
coctilibus muris cinxisse Semiramis urbem.
notitiam primosque gradus vicinia fecit,
- 60 tempore crevit amor; taedae quoque iure coissent,
sed vetuere patres: quod non potuere vetare,
ex aequo captis ardebant mentibus ambo.
consciis omnis abest; nutu signisque loquuntur,
quoque magis tegitur, tectus magis aestuat ignis.
- 65 fissus erat tenui rima, quam duxerat olim,
cum fieret, paries domui communis utriusque.
id vitium nulli per saecula longa notatum –
quid non sentit amor? – primi vidistis amantes
et vocis fecistis iter, tutaeque per illud
- 70 murmure blanditiae minimo transire solebant.
saepe, ubi constiterant hinc Thisbe, Pyramus illinc,
inque vices fuerat captatus anhelitus oris,
„invide, – dicebant, – paries, quid amantibus obstas?
quantum erat, ut sineres toto nos corpore iungi
- 75 aut, hoc si nimium est, vel ad oscula danda pateres?
nec sumus ingrati: tibi nos debere fatemur,
quod datus est verbis ad amicas transitus auris“.
taliam diversa nequiquam sede locuti
sub noctem dixere „vale“ partique dedere
- 80 oscula quisque suae non pervenientia contra.
postera nocturnos Aurora removerat ignes,
solque pruinosas radiis siccaverat herbas:
ad solitum coiere locum. tum murmure parvo
multa prius questi statuunt, ut nocte silenti
- 85 fallere custodes foribusque excedere temptent,
cumque domo exierint, urbis quoque tecta relinquunt,
neve sit errandum lato spatiantibus arvo,
convenient ad busta Nini lateantque sub umbra
arboris: arbor ibi niveis uberrima pomis,

90 ardua morus, erat, gelido contermina fonti.
 pacta placent; et lux, tarde discedere visa,
 praecipitatur aquis, et aquis nox exit ab isdem.
 Callida per tenebras versato cardine Thisbe
 egreditur fallitque suos adopertaque vultum
 95 pervenit ad tumulum dictaque sub arbore sedit.
 audacem faciebat amor. venit ecce recenti
 caede leaena boum spumantis oblita rictus
 depositura sitim vicini fontis in unda;
 quam procul ad lunae radios Babylonia Thisbe
 100 vidit et obscurum timido pede fugit in antrum,
 dumque fugit, tergo velamina lapsa reliquit.
 ut lea saeva sitim multa conpescuit unda,
 dum redit in silvas, inventos forte sine ipsa
 ore cruentato tenues laniavit amictus.
 105 serius egressus vestigia vidit in alto
 pulvere certa ferae totoque expalluit ore
 Pyramus; ut vero vestem quoque sanguine tinctam
 repperit, „una duos, – inquit, – nox perdet amantes,
 e quibus illa fuit longa dignissima vita;
 110 nostra nocens anima est. ego te, miseranda, peremi,
 in loca plena metus qui iussi nocte venires
 nec prior huc veni. nostrum divellite corpus
 et scelerata fero consumite viscera morsu,
 o quicumque sub hac habitatis rupe leones!
 115 sed timidi est optare necem“. velamina Thisbes
 tollit et ad pactae secum fert arboris umbram,
 utque dedit notae lacrimas, dedit oscula vesti,
 „accipe nunc, – inquit, – nostri quoque sanguinis haustus!“
 quoque erat accinctus, demisit in ilia ferrum,
 120 nec mora, ferventi moriens e vulnere traxit.
 ut iacuit resupinus humo, cruor emicat alte,
 non aliter quam cum vitiato fistula plumbo
 scinditur et tenui stridente foramine longas
 eiaculatur aquas atque ictibus aera rumpit.
 125 arborei fetus adspergine caedis in atram
 vertuntur faciem, madefactaque sanguine radix
 purpureo tinguit pendentia mora colore.
 Ecce metu nondum posito, ne fallat amantem,
 illa redit iuvenemque oculis animoque requirit,

130 quantaque vitarit narrare pericula gestit;
 utque locum et visa cognoscit in arbore formam,
 sic facit incertam pomi color: haeret, an haec sit.
 dum dubitat, tremebunda videt pulsare cruentum
 membra solum, retroque pedem tulit, oraque buxo
 135 pallidiora gerens exhorruit aequoris instar,
 quod tremit, exigua cum summum stringitur aura.
 sed postquam remorata suos cognovit amores,
 percutit indignos claro plangore lacertos
 et laniata comas amplexaque corpus amatum
 140 vulnera supplevit lacrimis fletumque cruori
 miscuit et gelidis in vultibus oscula figens
 „Pyrame, – clamavit, – quis te mihi casus ademit?
 Pyrame, responde! tua te carissima Thisbe
 nominat; exaudi vultusque attolle iacentes!“
 145 ad nomen Thisbes oculos a morte gravatos
 Pyramus erexit visaque recondidit illa.
 Quae postquam vestemque suam cognovit et ense
 vidit ebur vacuum, „tua te manus, – inquit, – amorque
 perdidit, infelix! est et mihi fortis in unum
 150 hoc manus, est et amor: dabit hic in vulnera vires.
 persequar extinctum letique miserima dicar
 causa comesque tui: quique a me morte revelli
 heu sola poteras, poteris nec morte revelli.
 hoc tamen amborum verbis estote rogati,
 155 o multum miseri meus illiusque parentes,
 ut, quos certus amor, quos hora novissima iunxit,
 conponi tumulo non invidetis eodem;
 at tu quae ramis arbor miserabile corpus
 nunc tegis unius, mox es tectura duorum,
 160 signa tene caedis pullosque et luctibus aptos
 semper habe fetus, gemini monumenta cruoris“.
 dixit et aptato pectus mucrone sub imum
 incubuit ferro, quod adhuc a caede tepebat.
 vota tamen tetigere deos, tetigere parentes;
 165 nam color in pomo est, ubi permaturuit, ater,
 quodque rogis superest, una requiescit in urna». <...>

TRISTIA*

LIBER PRIMUS

ELEGIA III

1 Cum subit illius tristissima noctis imago,
 quae mihi supremum tempus in Urbe fuit,
 cum repeto noctem, qua tot mihi cara reliqui,
 labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
5 iam prope lux aderat, qua me discedere Caesar
 finibus extremae iusserat Ausoniae.
nec spatium nec mens fuerat satis apta parandi:
 torpuerant longa pectora nostra mora.
non mihi servorum, comitis non cura legendi,
10 non aptae profugo vestis opisve fuit.
non aliter stupui, quam qui Iovis ignibus ictus
 vivit et est vitae nescius ipse suae.
ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit,
 et tandem sensus convaluere mei,
15 adloquor extremum maestos abiturus amicos,
 qui modo de multis unus et alter erant.
uxor amans flentem flens acrius ipsa tenebat,
 imbre per indignas usque cadente genas.
nata procul Libycis aberat diversa sub oris,
20 nec poterat fati certior esse mei.
quocumque aspiceres, luctus gemitusque sonabant,
 formaque non taciti funeris intus erat.
femina virque meo, pueri quoque funere maerent,
 inque domo lacrimas angulus omnis habet.
25 si licet exemplis in parvo grandibus uti,
 haec facies Troiae, cum caperetur, erat.
iamque quiescebant voces hominumque canumque
 Lunaque nocturnos alta regebat equos.
hanc ego suspiciens et ab hac Capitolia cernens,
30 quae nostro frustra iuncta fuere Lari,
 «numina vicinis habitantia sedibus, – inquam, –
 iamque oculis numquam templa videnda meis,
 dique relinquendi, quos Urbs habet alta Quirini,
 este salutati tempus in omne mihi,

* Фрагменты «Скорбных элегий» приводятся по изданию: P. Ovidius Naso. *Tristia* / ed. G. Luck. Heidelberg, 1967. Vol. 1.

35 et quamquam sero clipeum post vulnera sumo,
 attamen hanc odiis exonerate fugam,
 caelestique viro, quis me deceperit error,
 dicite, pro culpa ne scelus esse putet,
 ut quod vos scitis, poenae quoque sentiat auctor:
 40 placato possum non miser esse deo».

hac prece adoravi superos ego, pluribus uxor,
 singultu medios impediende sonos.
 illa etiam ante Lares passis adstrata capillis
 contigit extinctos ore tremente focos,
 45 multaque in aversos effudit verba Penates
 pro deplorato non valitura viro.
 iamque morae spatium nox praecipitata negabat,
 versaque ab axe suo Parrhasis Arctos erat.
 quid facerem? blando patriae retinebar amore,
 50 ultima sed iussae nox erat illa fugae.
 a! quotiens aliquo dixi properante: «quid urges?
 vel quo festinas ire, vel unde, vide».

a! quotiens certam me sum mentitus habere
 horam, propositae quae foret apta viae.
 55 ter limen tetigi, ter sum revocatus, et ipse
 indulgens animo pes mihi tardus erat.
 saepe «vale» dicto rursus sum multa locutus,
 et quasi discedens oscula summa dedi.
 saepe eadem mandata dedi meque ipse fefelli,
 60 respiciens oculis pignora cara meis.
 denique «quid propero? Scythia est, quo mittimur, – inquam, –
 Roma relinquenda est, utraque iusta mora.
 uxor in aeternum vivo mihi viva negatur,
 et domus et fidae dulcia membra domus,
 65 quosque ego dilexi fraterno more sodales,
 o mihi Thesea pectora iuncta fide!
 dum licet, amplectar: numquam fortasse licebit
 amplius; in lucro est quae datur hora mihi».

nec mora sermonis verba imperfecta relinquo,
 70 complectens animo proxima quaeque meo.
 dum loquor et flemus, caelo nitidissimus alto,
 stella gravis nobis, Lucifer ortus erat.
 dividor haud aliter, quam si mea membra relinquam,
 et pars abrumpi corpore visa suo est.

75 sic doluit Mettus tum cum in contraria versos
 ultores habuit proditiōnis equos.
 tum vero exoritur clamor gemitusque meorum,
 et feriunt maestae pectora nuda manus.
 tum vero coniunx umeris abeuntis inhaerens
 80 miscuit haec lacrimis tristia verba suis:
 «non potes avelli: simul ah! simul ibimus, – inquit, –
 te sequar et coniunx exulis exul ero.
 et mihi facta via est, et me capit ultima tellus:
 accedam profugae sarcina parva rati.
 85 te iubet e patria discedere Caesaris ira,
 me pietas: pietas haec mihi Caesar erit».

talia temptabat, sicut temptaverat ante,
 vixque dedit victas utilitate manus.
 egredior (sive illud erat sine funere ferri?)
 90 squalidus inmissis hirta per ora comis.
 illa dolore amens tenebris narratur obortis
 semianimis media procubuisse domo,
 utque resurrexit foedatis pulvere turpi
 crinibus et gelida membra levavit humo,
 95 se modo, desertos modo complorasse Penates,
 nomen et erepti saepe vocasse viri,
 nec gemuisse minus, quam si nataeve meumve
 vidisset structos corpus habere rogos,
 et voluisse mali moriendo ponere sensum,
 100 respectuque tamen non potuisse mei.
 vivat et absentem, quoniam sic fata tulerunt,
 vivat ut, auxilio sublevet usque suo.

LIBER QUARTUS

ELEGIA X

1 Ille ego qui fuerim, tenerorum lusor amorum,
 quem legis, ut noris, accipe posteritas.
 Sulmo mihi patria est, gelidis uberrimus undis,
 milia qui novies distat ab Urbe decem.
 5 editus hic ego sum nec non ut tempora noris,
 cum cecidit fato consul uterque pari.
 si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
 non modo fortunae munere factus eques.
 nec stirps prima fui; genito sum fratre creatus,

10 qui tribus ante quater mensibus ortus erat.
Lucifer amborum natalibus affuit idem:
 una celebrata est per duo liba dies;
haec est armiferae festis de quinque Minervae,
 quae fieri pugna prima cruenta solet.
15 protinus excolimur teneri, curaque parentis
 imus ad insignes Urbis ab arte viros.
frater ad eloquium viridi tendebat ab aevo,
 fortia verbosi natus ad arma fori;
at mihi iam puero caelestia sacra placebant,
 inque suum furtim Musa trahebat opus.
20 saepe pater dixit: «studium quid inutile temptas?
 Maeonides nullas ipse reliquit opes».
motus eram dictis, totoque Helicone relicto
 scribere temptabam verba soluta modis.
25 sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos,
 et quod temptabam scribere versus erat.
interea tacito passu labentibus annis
 liberior fratri sumpta mihiq̄ue toga est,
induiturque umeris cum lato purpura clavo,
 et studium nobis, quod fuit ante, manet.
30 iamque decem vitae frater geminaverat annos,
 cum perit, et coepi parte carere mei.
cepimus et tenerae primos aetatis honores,
 eque viris quondam pars tribus una fui.
35 curia restabat: clavi mensura coacta est;
 maius erat nostris viribus illud onus.
nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
 sollicitaeque fugax ambitionis eram,
et petere Aoniae suadebant tuta sorores
 otia, iudicio semper amata meo.
40 temporis illius colui fovique poetas,
 quotque aderant vates, rebar adesse deos.
saepe suas volucres legit mihi grandior aevo,
 quaeque necet serpens, quae iuvet herba, Macer.
45 saepe suos solitus recitare Propertius ignes
 iure sodalicii, quo mihi iunctus erat.
Ponticus heroo, Bassus quoque clarus iambis
 dulcia convictus membra fuere mei.
et tenuit nostras numerosus Horatius aures,

50 dum ferit Ausonia carmina culta lyra.
 Vergilium vidi tantum, nec avara Tibullo
 tempus amicitiae fata dedere meae.
 successor fuit hic tibi, Galle, Propertius illi;
 quartus ab his serie temporis ipse fui.
 55 utque ego maiores, sic me coluere minores,
 notaque non tarde facta Thalia mea est.
 carmina cum primum populo iuvenilia legi,
 barba resecta mihi bisve semelve fuit.
 moverat ingenium totam cantata per Urbem
 60 nomine non vero dicta Corinna mihi.
 multa quidem scripsi, sed, quae vitiosa putavi,
 emendaturis ignibus ipse dedi.
 tunc quoque, cum fugerem, quaedam placitura cremavi
 iratus studio carminibusque meis.
 65 molle Cupidineis nec inexpugnabile telis
 cor mihi, quodque levis causa moveret, erat.
 cum tamen hic essem minimoque accenderer igni,
 nomine sub nostro fabula nulla fuit.
 paene mihi puero nec digna nec utilis uxor
 70 est data, quae tempus perbreve nupta fuit.
 illi successit, quamvis sine crimine coniunx,
 non tamen in nostro firma futura toro.
 ultima, quae mecum seros permansit in annos,
 sustinuit coniunx exulis esse viri.
 75 filia me mea bis prima fecunda iuventa,
 sed non ex uno coniuge, fecit avum.
 et iam complebat genitor sua fata novemque
 addiderat lustris altera lustra novem.
 non aliter flevi, quam me fleturus adempto
 80 ille fuit; matri proxima iusta tuli.
 felices ambo tempestiveque sepulti,
 ante diem poenae quod periere meae!
 me quoque felicem, quod non viventibus illis
 sum miser, et de me quod doluere nihil!
 85 si tamen extinctis aliquid nisi nomina restat,
 et gracilis structos effugit umbra rogos,
 fama, parentales, si vos mea contigit, umbrae,
 et sunt in Stygio crimina nostra foro,
 scite, precor, causam (nec vos mihi fallere fas est)

90 errorem iussae, non scelus, esse fugae.
manibus hoc satis est: ad vos, studiosa, revertor,
 pectora, qui vitae quaeritis acta meae.
iam mihi canities pulsus melioribus annis
 venerat, antiquas miscueratque comas,
95 postque meos ortus Pisaea vinctus oliva
 abstulerat deciens praemia victor equus,
cum maris Euxini positos ad laeva Tomitas
 quaerere me laesi principis ira iubet.
causa meae cunctis nimium quoque nota ruinae
100 indicio non est testificanda meo.
quid referam comitumque nefas famulosque nocentes?
 ipsa multa tuli non leviora fuga.
indignata malis mens est succumbere seque
 praestitit invictam viribus usa suis;
105 oblitusque mei ductaeque per otia vitae
 insolita cepi temporis arma manu;
totque tuli terra casus pelagoque quot inter
 occultum stellae conspicuumque polum.
tacta mihi tandem longis erroribus acto
110 iuncta pharetratis Sarmatis ora Getis.
hic ego, finitimis quamvis circumsoner armis,
 tristia, quo possum, carmine fata levo.
quod quamvis nemo est, cuius referatur ad aures,
 sic tamen absumo decipioque diem.
115 ergo quod vivo durisque laboribus obsto,
 nec me sollicitae taedia lucis habent,
gratia, Musa, tibi: nam tu solacia praebes,
 tu curae requies, tu medicina venis.
tu dux et comes es, tu nos abducis ab Histro,
120 in medioque mihi das Helicone locum;
tu mihi, quod rarum est, vivo sublime dedisti
 nomen, ab exequiis quod dare fama solet.
nec, qui detrectat praesentia, Livor iniquo
 ullum de nostris dente momordit opus.
125 nam tulerint magnos cum saecula nostra poetas,
 non fuit ingenio fama maligna meo,
cumque ego praeponam multos mihi, non minor illis
 dicor et in toto plurimus orbe legor.
si quid habent igitur vatium praesagia veri,
130 protinus ut moriar, non ero, terra, tuus.
sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,
 iure tibi grates, candide lector, ago.

LUCIUS ANNAEUS SENECA MINOR

Луций Анней Сенека Младший (ок. 4 г. до н. э. – 65 г. н. э.) – римский писатель, поэт, философ-стоик, драматург, ритор. Его отцом был римский оратор Луций Анней Сенека Старший. Родился в Испании в г. Кордова. Получил блестящее образование в Риме. При императоре Калигуле Сенека был квестором. В 41 г. император Клавдий сослал писателя на Корсику. После смерти Клавдия его вторая жена Агриппина вернула Сенеку из ссылки и поручила ему воспитание своего сына Нерона. Благодаря этому Сенека стал влиятельнейшим человеком в Риме, нажил большое состояние, за что подвергался критике сената. В 61 г. ушел в отставку, а тремя годами позже был обвинен в соучастии в заговоре Луция Кальпурния Пизона против Нерона и по приказу императора покончил с собой, вскрыв вены.

Прозаические произведения Сенеки состоят из 12 книг – это небольшие философские трактаты и письма на моральные темы к философу Луцилию («Нравственные письма к Луцилию»). Сенека писал также и трагедии, из которых до наших дней дошли «Медея», «Эдип», «Федра», «Фиест», «Безумный Геркулес», «Агамемнон», «Троянки», «Финикиянки», «Геркулес на Эте». Сюжеты трагедий взяты из греческой мифологии, однако их трактовка совсем иная, чем у греческих трагиков. В пьесах представлено много сцен ужасов, гаданий по внутренностям, убийств и самоубийств, что, естественно, отвечало вкусам современной для Сенеки Римской империи. Из-за своей патетичности и риторичности трагедии Сенеки скорее предназначены для чтения, чем для постановки на сцене.

Перу Сенеки принадлежит сатира «Отыквление божественного Клавдия», где с большой иронией говорится о главном герое, которого после смерти боги в качестве наказания превратили в тыкву.

Творчество Сенеки оказало большое влияние на многих мыслителей, писателей и философов, в числе которых Петрарка, Э. Роттердамский, Ф. Бэкон, М. Монтень, У. Шекспир. Как философ и драматург он был близок представителям французского классицизма П. Корнелю и Ж. Расину, что, безусловно, нашло отражение в их творчестве.

В своей «Божественной комедии» Сенеку вместе с Цицероном и греческими философами изобразил великий итальянский поэт Данте Алигьери.

AD LUCILIUM EPISTULAE MORALES*

LIBER PRIMUS

I

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

1 (1) Ita fac, mi Lucili: vindica te tibi, et tempus quod adhuc aut
auferebatur aut subripiabatur aut excidebat collige et serva. persuade tibi
hoc sic esse ut scribo: quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam
subducuntur, quaedam effluunt. turpissima tamen est iactura quae per
5 neglegentiam fit. et si volueris adtendere, magna pars vitae elabitur male
agentibus, maxima nihil agentibus, tota vita aliud agentibus. (2) quem mihi
dabis qui aliquod pretium tempori ponat, qui diem aestimet, qui intellegat
se cotidie mori? in hoc enim fallimur, quod mortem prospicimus: magna
pars eius iam praeterit; quidquid aetatis retro est mors tenet. fac ergo, mi
10 Lucili, quod facere te scribis, omnes horas complectere; sic fiet ut minus ex
crastino pendeas, si hodierno manum inieceris. dum differtur vita
transcurrit. (3) omnia, Lucili, aliena sunt, tempus tantum nostrum est; in
huius rei unius fugacis ac lubricae possessionem natura nos misit, ex qua
expellit quicumque vult. et tanta stultitia mortalium est ut quae minima et
15 vilissima sunt, certe reparabilia, inputari sibi cum inpetravere patiantur,
nemo se iudicet quicumque debere qui tempus accepit, cum interim hoc
unum est quod ne gratus quidem potest reddere.

(4) Interrogabis fortasse quid ego faciam qui tibi ista praecipio. fatebor
ingenue: quod apud luxuriosum sed diligentem evenit, ratio mihi constat
20 inpensae. non possum dicere nihil perdere, sed quid perdam et quare et
quemadmodum dicam; causas paupertatis meae reddam. sed evenit mihi
quod plerisque non suo vitio ad inopiam redactis: omnes ignoscunt, nemo
succurrit. (5) quid ergo est? non puto pauperem cui quantulumcumque
superest sat est; tu tamen malo serves tua, et bono tempore incipies. nam ut
25 visum est maioribus nostris, «sera parsimonia in fundo est»; non enim
tantum minimum in imo sed pessimum remanet. vale.

II

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

1 (1) Ex iis quae mihi scribis et ex iis quae audio bonam spem de te
concupio: non discurre nec locorum mutationibus inquietaris. aegri animi
ista iactatio est: primum argumentum compositae mentis existimo posse

* Фрагменты «Писем» приводятся по изданию: L. Annaei Senecae ad Lucilium epistulae morales / ed. L. D. Reynolds. Oxford, 1965.

consistere et secum morari. (2) illud autem vide, ne ista lectio auctorum
5 multorum et omnis generis voluminum habeat aliquid vagum et instabile.
certis ingeniis inmorari et innutrirī oportet, si velis aliquid trahere quod in
animo fideliter sedeat. nusquam est qui ubique est. vitam in
peregrinatione exigentibus hoc evenit, ut multa hospitia habeant, nullas
amicitias; idem accidat necesse est iis qui nullius se ingenio familiariter
10 applicant sed omnia cursim et properantes transmittunt. (3) non prodest
cibus nec corpori accedit qui statim sumptus emittitur; nihil aequae
sanitatem inpedit quam remediorum crebra mutatio; non venit vulnus ad
cicatricem in quo medicamenta temptantur; non convalescit planta quae
saepe transfertur; nihil tam utile est ut in transitu prosit. dstringit
15 librorum multitudo; itaque cum legere non possis quantum habueris, satis
est habere quantum legas. (4) «sed modo, – inquis, – hunc librum
evolvere volo, modo illum». fastidientis stomachi est multa degustare;
quae ubi varia sunt et diversa, inquinant non alunt. probatos itaque
semper lege, et si quando ad alios deverti libuerit, ad priores redi. aliquid
20 cotidie adversus paupertatem, aliquid adversus mortem auxili comparā,
nec minus adversus ceteras pestes; et cum multa percurreris, unum
excerpe quod illo die concoquas. (5) hoc ipse quoque facio; ex pluribus
quae legi aliquid adprehendo. hodiernum hoc est quod apud Epicurum
nactus sum (soleo enim et in aliena castra transire, non tamquam
25 transfuga, sed tamquam explorator): (6) «honestā, – inquit, – res est laeta
paupertas». illa vero non est paupertas, si laeta est; non qui parum habet,
sed qui plus cupit, pauper est. quid enim refert quantum illi in arca,
quantum in horreis iaceat, quantum pascat aut feneret, si alieno imminet,
si non adquisita sed adquirenda computat? quis sit divitiarum modus
30 quaeris? primus habere quod necesse est, proximus quod sat est. vale.

III

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

1 (1) Epistulas ad me perferendas tradidisti, ut scribis, amico tuo;
deinde admones me ne omnia cum eo ad te pertinentia communicem,
quia non soleas ne ipse quidem id facere: ita eadem epistula illum et
dixisti amicum et negasti. itaque si proprio illo verbo quasi publico usus
5 es et sic illum amicum vocasti quomodo omnes candidatos «bonos viros»
dicimus, quomodo obvios, si nomen non succurrit, «dominos» salutamus,
hac abierit. (2) sed si aliquem amicum existimas cui non tantundem
credis quantum tibi, vehementer erras et non satis nosti vim verae
amicitiae. tu vero omnia cum amico delibera, sed de ipso prius: post
10 amicitiam credendum est, ante amicitiam iudicandum. isti vero
praepostero officia permiscent qui, contra praecepta Theophrasti, cum

amaverunt iudicant, et non amant cum iudicaverunt. diu cogita an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit. cum placuerit fieri, toto illum pectore admitte; tam audaciter cum illo loquere quam tecum. (3) tu quidem ita vive ut nihil tibi committas nisi quod committere etiam inimico tuo possis; sed quia interveniunt quaedam quae consuetudo fecit arcana, cum amico omnes curas, omnes cogitationes tuas misce. fidelem si putaveris, facies; nam quidam fallere docuerunt dum timent falli, et illi ius peccandi suspicando fecerunt. quid est quare ego ulla verba coram amico meo retraham? quid est quare me coram illo non putem solum? (4) quidam quae tantum amicis committenda sunt obviis narrant, et in quaslibet aures quidquid illos urit exonerant; quidam rursus etiam carissimorum conscientiam reformidant et, si possent, ne sibi quidem credituri interius premunt omne secretum. neutrum faciendum est; utrumque enim vitium est, et omnibus credere et nulli, sed alterum honestius dixerim vitium, alterum tutius. (5) sic utrosque reprehendas, et eos qui semper inquieti sunt, et eos qui semper quiescunt. nam illa tumultu gaudens non est industria sed exagitatae mentis concursatio, et haec non est quies quae motum omnem molestiam iudicat, sed dissolutio et languor. (6) itaque hoc quod apud Pomponium legi animo mandabitur: «quidam adeo in latebras refugerunt ut putent in turbido esse quidquid in luce est». inter se ista miscenda sunt: et quiescenti agendum et agenti quiescendum est. cum rerum natura delibera: illa dicet tibi et diem fecisse se et noctem. vale.

IV

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

1 (1) Persevera ut coepisti et quantum potes propera, quo diutius frui emendato animo et composito possis. frueris quidem etiam dum emendas, etiam dum componis: alia tamen illa voluptas est quae percipitur ex contemplatione mentis ab omni labe purae et splendidae. (2) tenes utique
5 memoria quantum senseris gaudium cum praetexta posita sumpsisti virilem togam et in forum deductus es: maius expecta cum puerilem animum deposueris et te in viros philosophia transcripserit. adhuc enim non pueritia sed, quod est gravius, puerilitas remanet; et hoc quidem peior est, quod auctoritatem habemus senum, vitia puerorum, nec puerorum
10 tantum sed infantum: illi levia, hi falsa formidant, nos utraque. (3) profice modo: intelleges quaedam ideo minus timenda quia multum metus adferunt. nullum <malum> magnum quod extremum est. mors ad te venit: timenda erat si tecum esse posset: necesse est aut non perveniat aut transeat. (4) «difficile est, – inquis, – animum perducere ad
15 contemtionem animae». non vides quam ex frivolis causis contemnatur? alius ante amicae fores laqueo pependit, alius se praecipitavit e tecto ne

dominum stomachantem diutius audiret, alius ne reduceretur e fuga ferrum adegit in viscera: non putas virtutem hoc effecturam quod efficit nimia formido? nulli potest secura vita contingere qui de producenda nimis cogitat, qui inter magna bona multos consules numerat. (5) hoc cotidie meditare, ut possis aequo animo vitam relinquere, quam multi sic conplectuntur et tenent quomodo qui aqua torrente rapiuntur spinas et aspera. plerique inter mortis metum et vitae tormenta miseri fluctuantur et vivere nolunt, mori nesciunt. (6) fac itaque tibi iucundam vitam omnem pro illa sollicitudinem deponendo. nullum bonum adiuvat habentem nisi ad cuius amissionem praeparatus est animus; nullius autem rei facilius amissio est quam quae desiderari amissa non potest. ergo adversus haec quae incidere possunt etiam potentissimis adhortare te et indura. (7) de Pompei capite pupillus et spado tulere sententiam, de Crasso crudelis et insolens Parthus; Gaius Caesar iussit Lepidum Dextro tribuno praebere cervicem, ipse Chaereae praestitit; neminem eo fortuna provexit ut non tantum illi minaretur quantum permiserat. noli huic tranquillitati confidere: momento mare evertitur; eodem die ubi luserunt navigia sorbentur. (8) cogita posse et latronem et hostem admovere iugulo tuo gladium; ut potestas maior absit, nemo non servus habet in te vitae necisque arbitrium. ita dico: quisquis vitam suam contempsit tuae dominus est. recognosce exempla eorum qui domesticis insidiis perierunt, aut aperta vi aut dolo: intelleges non pauciores servorum ira cecidisse quam regum. quid ad te itaque quam potens sit quem times, cum id propter quod times nemo non possit? (9) at si forte in manus hostium incideris, victor te duci iubebit – eo nempe quo duceris. quid te ipse decipis et hoc nunc primum quod olim patiebaris intellegis? ita dico: ex quo natus es, duceris. haec et eiusmodi versanda in animo sunt si volumus ultimam illam horam placidi expectare cuius metus omnes alias inquietas facit.

(10) Sed ut finem epistulae inponam, accipe quod mihi hodierno die placuit – et hoc quoque ex alienis hortulis sumptum est: «magnae divitiae sunt lege naturae composita paupertas». lex autem illa naturae scis quos nobis terminos statuatur? non esurire, non sitire, non algere. ut famem sitimque depellas non est necesse superbis adsidere liminibus nec supercilium grave et contumeliosam etiam humanitatem pati, non est necesse maria temptare nec sequi castra: parabile est quod natura desiderat et adpositum. (11) ad supervacua sudatur; illa sunt quae togam conterunt, quae nos senescere sub tentorio cogunt, quae in aliena litora inpingunt: ad manum est quod sat est. cui cum paupertate bene convenit dives est. vale.

VI

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

1 (1) Intellego, Lucili, non emendari me tantum sed transfigurari; nec
hoc promitto iam aut spero, nihil in me superesse quod mutandum sit.
quidni multa habeam quae debeant colligi, quae extenuari, quae attolli?
et hoc ipsum argumentum est in melius translatis animi, quod vitia sua
5 quae adhuc ignorabat videt; quibusdam aegris gratulatio fit cum ipsi
aegros se esse senserunt. (2) cuperem itaque tecum communicare tam
subitam mutationem mei; tunc amicitiae nostrae certiores fiduciam
habere coepissem, illius verae quam non spes, non timor, non utilitatis
suae cura divellit, illius cum qua homines moriuntur, pro qua
10 moriuntur. (3) multos tibi dabo qui non amico sed amicitia caruerint:
hoc non potest accidere cum animos in societatem honesta cupiendi par
voluntas trahit. quidni non possit? sciunt enim ipsos omnia habere
communia, et quidem magis adversa.

Concipere animo non potes quantum momenti adferre mihi
15 singulos dies videam. (4) «mitte, – inquit, – et nobis ista quae tam
efficacia expertus es». ego vero omnia in te cupio transfundere, et in
hoc aliquid gaudeo discere, ut doceam; nec me ulla res delectabit, licet
sit eximia et salutaris, quam mihi uni sciturus sum. si cum hac
exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam nec enuntiem,
20 reiciam: nullius boni sine socio iucunda possessio est. (5) mittam
itaque ipsos tibi libros, et ne multum operae impendas dum passim
profutura sectaris, inponam notas, ut ad ipsa protinus quae probo et
miror accedas. plus tamen tibi et viva vox et convictus quam oratio
proderit; in rem praesentem venias oportet, primum quia homines
25 amplius oculis quam auribus credunt, deinde quia longum iter est per
praecepta, breve et efficax per exempla. (6) Zenonem Cleanthes non
expressisset, si tantummodo audisset: vitae eius interfuit, secreta
perspexit, observavit illum, an ex formula sua viveret. Platon et
Aristoteles et omnis in diversum itura sapientium turba plus ex
30 moribus quam ex verbis Socratis traxit; Metrodorum et Hermarchum et
Polyaenum magnos viros non schola Epicuri sed contubernium fecit.
nec in hoc te accerso tantum, ut proficias, sed ut prosis; plurimum enim
alter alteri conferemus.

(7) Interim quoniam diurnam tibi mercedulam debeo, quid me
35 hodie apud Hecatonem delectaverit dicam. «quaeris, – inquit, – quid
profecerim? amicus esse mihi coepi». multum profecit: numquam erit
solus. scito esse hunc amicum omnibus. vale.

LIBER SEPTIMUS DECIMUS

CI

SENECA LUCILIO SUO SALUTEM

1 (1) Omnis dies, omnis hora quam nihil simus ostendit et aliquo
argumento recenti admonet fragilitatis oblitos; tum aeterna meditato
respicere cogit ad mortem. quid sibi istud principium velit quaeris?
Senecionem Cornelium, equitem Romanum splendidum et
5 officiosum, noveras: ex tenui principio se ipse promoverat et iam illi
declivis erat cursus ad cetera; facilius enim crescit dignitas quam
incipit. (2) pecunia quoque circa paupertatem plurimum morae habet;
dum ex illa erepat haeret. iam Senecio divitis imminebat, ad quas
illum duae res ducebant efficacissimae, et quaerendi et custodiendi
10 scientia, quarum vel altera locupletem facere potuisset. (3) hic homo
summae frugalitatis, non minus patrimonii quam corporis diligens,
cum me ex consuetudine mane vidisset, cum per totum diem amico
graviter adfecto et sine spe iacenti usque in noctem adsedisset, cum
15 hilaris cenasset, genere valetudinis praecipiti arreptus, angina, vix
compressum artatis faucibus spiritum traxit in lucem. intra
paucissimas ergo horas quam omnibus erat sani ac valentis officiis
functus decessit. (4) ille qui et mari et terra pecuniam agitabat, qui ad
publica quoque nullum relinquens inexpertum genus quaestus
20 accesserat, in ipso actu bene cedentium rerum, in ipso procurrentis
pecuniae impetu raptus est. «insere nunc, Meliboe, piros, pone [in]
ordine vites». quam stultum est aetatem disponere ne crastini quidem
dominum! o quanta dementia est spes longas inchoantium: emam,
aedificabo, credam, exigam, honores geram, tum deinde lassam et
25 plenam senectutem in otium referam. (5) omnia, mihi crede, etiam
felicibus dubia sunt; nihil sibi quisquam de futuro debet promittere; id
quoque quod tenetur per manus exit et ipsam quam premimus horam
casus incidit. volvitur tempus rata quidem lege, sed per obscurum:
quid autem ad me an naturae certum sit quod mihi incertum est?
30 (6) navigationes longas et pererratis litoribus alienis seros in patriam
reditus proponimus, militiam et castrensium laborum tarda
manipretia, procuraciones officiorumque per officia processus, cum
interim ad latus mors est, quae quoniam numquam cogitatur nisi
aliena, subinde nobis ingeruntur mortalitatis exempla non diutius
quam dum miramur haesura. (7) quid autem stultius quam mirari id
35 ullo die factum quod omni potest fieri? stat quidem terminus nobis
ubi illum inexorabilis fatorum necessitas fixit, sed nemo scit nostrum

quam prope versetur a termino; sic itaque formemus animum
tamquam ad extrema ventum sit. nihil differamus; cotidie cum vita
paria faciamus. (8) maximum vitae vitium est quod imperfecta semper
40 est, quod [in] aliquid ex illa differtur. qui cotidie vitae suae summam
manum inposuit non indiget tempore; ex hac autem indigentia timor
nascitur et cupiditas futuri exedens animum. nihil est miserius
dubitatione venientium quorsus evadant; quantum sit illud quod restat
aut quale sollicita mens inexplicabili formidine agitur. (9) quo
45 modo effugiemus hanc volutationem? uno: si vita nostra non
prominebit, si in se colligitur; ille enim ex futuro suspenditur cui
inritum est praesens. ubi vero quidquid mihi debui redditum est, ubi
stabilita mens scit nihil interesse inter diem et saeculum, quidquid
deinceps dierum rerumque venturum est ex alto prospicit et cum
50 multo risu seriem temporum cogitat. quid enim varietas mobilitasque
casuum perturbabit, si certus sis adversus incerta? (10) ideo propera,
Lucili mi, vivere, et singulos dies singulas vitas puta. qui hoc modo se
aptavit, cui vita sua cotidie fuit tota, securus est: in spem viventibus
proximum quodque tempus elabitur, subitque aviditas et miserrimus
55 ac miserrima omnia efficiens metus mortis. inde illud Maecenatis
turpissimum votum quo et debilitatem non recusat et deformitatem et
novissime acutam crucem, dummodo inter haec mala spiritus
prorogetur: (11) «debilem facito manu, debilem pede coxo, tuber
adstrue gibberum, lubricos quate dentes: vita dum superest, benest;
60 hanc mihi, vel acuta si sedeam cruce, sustine». (12) quod miserrimum
erat si incidisset optatur, et tamquam vita petitur supplici mora.
contemptissimum putarem si vivere vellet usque ad crucem: «tu
vero, – inquit, – me debiles licet, dum spiritus in corpore fracto et
inutili maneat; depraves licet, dum monstroso et distorto temporis
65 aliquid accedat; suffigas licet et acutam sessuro crucem subdas». est
tanti vulnus suum premere et patibulo pendere districtum, dum
differat id quod est in malis optimum, supplici finem? est tanti habere
animam ut agam? (13) quid huic optes nisi deos faciles? quid sibi vult
ista carminis effeminati turpitude? quid timoris dementissimi pactio?
70 quid tam foeda vitae mendicatio? huic putes umquam recitasse
Vergilium: «usque adeone mori miserum est?») optat ultima malorum
et quae pati gravissimum est extendi ac sustineri cupit: qua mercede?
scilicet vitae longioris. (14) quod autem vivere est diu mori? invenitur
aliquis qui velit inter supplicia tabescere et perire membratim et
75 totiens per stilicidia emittere animam quam semel exhalare? invenitur
qui velit adactus ad illud infelix lignum, iam debilis, iam pravus et in

foedum scapularum ac pectoris tuber elisus, cui multae moriendi
causae etiam citra crucem fuerant, trahere animam tot tormenta
tracturam? nega nunc magnum beneficium esse naturae quod necesse
80 est mori. (15) multi peiora adhuc pacisci parati sunt: etiam amicum
prodere, ut diutius vivant, et liberos ad stuprum manu sua tradere, ut
contingat lucem videre tot consciam scelerum. excutienda vitae
cupido est discendumque nihil interesse quando patiaris quod
quandoque patiendum est; quam bene vivas referre, non quam diu;
85 saepe autem in hoc esse bene, ne diu. vale.

CAIUS PETRONIUS ARBITER

Гай Петроний Арбитр (ок. 14–66 гг. н. э.) – римский сатирик, автор «Сатирикона» – романа, высмеивающего современное писателю римское общество. К сожалению, это произведение полностью не дошло до нас. Центральный эпизод сохранившейся части романа – обед у разбогатевшего вольноотпущенника Тримальхиона, организованный с безвкусной роскошью. С позиции аристократа и эстета Петроний высмеивает разбогатевших плебеев, их чванство, невежество, грубость. Стиль произведения отличается простотой и легкостью, язык близок к разговорному, изобилует вульгаризмами, характерными для речи простого народа.

«Сатирикон» является своеобразным плутовским романом. Под его влиянием написаны «Декамерон» Дж. Бокаччо, «Жиль-Блаз» А. Лесажа. По мотивам романа Ф. Феллини снял фильм «Сатирикон Феллини», насыщенный натуралистическими подробностями, бичующий недостатки представителей «общества потребления».

Петроний считался законодателем в области хорошего вкуса (*arbiter elegantiae*) при дворе императора Нерона. Однако в 66 г., обвиненный в соучастии в заговоре Гая Кальпурния Пизона, он был вынужден покончить с собой, вскрыв себе вены.

SATYRICON*

- 1 <...> (XXXVI. 1) Haec ut dixit, ad symphoniam quattuor
tripudiantes procurrerunt superioremque partem repositorii abstulerunt.
(2) quo facto videmus infra [scilicet in altero ferculo] altitia et sumina
leporemque in medio pinnis subornatum, ut Pegasus videretur.
5 (3) notavimus etiam circa angulos repositorii Marsyas quattuor, ex
quorum utriculis garum piperatum currebat super pisces, qui quasi in
euripo natabant. (4) damus omnes plausum a familia inceptum et res
electissimas ridentes aggredimur. (5) non minus et Trimalchio
eiusmodi methodio laetus «Carpe» inquit. (6) processit statim scissor et

* Фрагмент «Сатирикона» приводится по изданию: Petronius: Satyricon / ed. K. Müller, W. Ehlers. Zürich, 1983.

10 ad symphoniam gesticulatus ita laceravit obsonium, ut putares
essedarium hydraule cantante pugnare. (7) ingerebat nihilo minus
Trimalchio lentissima voce: «Carpe, Carpe». ego suspicatus ad
aliquam urbanitatem totiens iteratam vocem pertinere, non erubui eum
15 qui supra me accumbebat hoc ipsum interrogare. (8) at ille, qui saepius
eiusmodi ludos spectaverat, «vides illum, – inquit, – qui obsonium
carpit: Carpus vocatur. ita quotienscumque dicit „Carpe“, eodem verbo
et vocat et imperat».

(XXXVII. 1) Non potui amplius quicquam gustare, sed conversus
ad eum, ut quam plurima exciperem, longe accersere fabulas coepi
20 sciscitarique, quae esset mulier illa, quae huc atque illuc discurreret.
(2) «uxor, – inquit, – Trimalchionis, Fortunata appellatur, quae
nummos modio metitur. (3) et modo modo quid fuit? ignoscet mihi
genius tuus, noluisse de manu illius panem accipere. (4) nunc, nec
quid nec quare, in caelum abiit et Trimalchionis topanta est. (5) ad
25 summam, mero meridie si dixerit illi tenebras esse, credit. (6) ipse
nescit quid habeat, adeo saplutus est; sed haec lupatria providet omnia,
est ubi non putes. (7) est sicca, sobria, bonorum consiliorum – tantum
auri vides – , est tamen malae linguae, pica pulvinaris. quem amat,
amat; quem non amat, non amat. (8) ipse [Trimalchio] fundos habet,
30 qua milvi volant, nummorum nummos. argentum in ostiarii illius cella
plus iacet quam quisquam in fortunis habet. (9) familia vero babae
babae, non mehercules puto decumam partem esse quae dominum
suum noverit. (10) ad summam, quemvis ex istis babaecalis in rutae
folium coniciet. (XXXVIII. 1) nec est quod putes illum quicquam
35 emere. omnia domi nascuntur: lana, citrea, piper; lacte gallinaceum si
quaesieris, invenies. (2) ad summam, parum illi bona lana nascebatur:
arietes a Tarento emit et eos culavit in gregem. (3) mel Atticum ut
domi nasceretur, apes ab Athenis iussit afferri; obiter et vernaculae
quae sunt, meliusculae a Graeculis fient. (4) ecce intra hos dies scripsit,
40 ut illi ex India semen boletorum mitteretur. nam mulam quidem nullam
habet quae non ex onagro nata sit. (5) vides tot culcit[r]as: nulla non
aut conchyliatum aut coccineum tomentum habet. tanta est animi
beatitudo. (6) reliquos autem collibertos eius cave contemnas. valde
sucos[s]i sunt. (7) vides illum qui in imo imus recumbit: hodie sua
45 octingenta possidet. de nihilo crevit. modo solebat collo suo ligna
portare. (8) sed quomodo dicunt – ego nihil scio, sed audivi – cum
Incuboni pilleum rapuisset, [et] thesaurum invenit. ego nemini invideo,
si quid deus dedit. (9) est tamen subalapa et non vult sibi male.
(10) itaque proxime cenaculum hoc titulo proscriptis: „C. Pompeius

50 Diogenes ex kalendis Iulii cenaculum locat; ipse enim domum emit“. (11) quid ille qui libertini loco iacet, quam bene se habuit. non impropero illi. (12) sestertium suum vidit decies, sed male vacillavit. non puto illum capillos liberos habere, nec mehercules sua culpa; ipso enim homo melior non est; sed liberti scelerati, qui omnia ad se
55 fecerunt. (13) scito autem: sociorum olla male fervet, et ubi semel res inclinata est, amici de medio. (14) et quam honestam negotiationem exercuit, quod illum sic vides. libitinarius fuit. (15) solebat sic cenare quomodo rex: apros gausapatos, opera pistoria, avis, [...] cocos, pistores. plus vini sub mensa effundebatur, quam aliquis in cella habet.
60 phantasia, non homo. (16) inclinatis quoque rebus suis, cum timeret ne creditores illum conturbare existimarent, hoc titulo auctionem proscrispsit: „<C.> Iulius Proculus auctionem faciet rerum supervacuuarum“».

(XXXIX. 1) Interpellavit tam dulces fabulas Trimalchio; nam iam sublatum erat ferculum, hilaresque convivae vino sermonibusque publicatis operam coeperant dare. (2) is ergo reclinatus in cubitum «hoc vinum, – inquit, – vos oportet suave faciatis. (3) pisces natate oportet. rogo, me putatis illa cena esse contentum, quam in theca repositorii videratis? „sic notus Ulixes?“ quid ergo est? oportet etiam
70 inter cenandum philologiam nosse. (4) patrono meo ossa bene quiescant, qui me hominem inter homines voluit esse. nam mihi nihil novi potest afferri, sicut ille fer[i]culus †ta mel† habuit proxim. (5) caelus hic, in quo duodecim dii habitant, in totidem se figuras convertit, et modo fit aries. itaque quisquis nascitur illo signo, multa pecora habet, multum lanæ, caput praeterea durum, frontem expudoratum, cornum acutum. plurimi hoc signo scholastici nascuntur et arietilli». (6) laudamus urbanitatem mathematici; itaque adiecit: «deinde totus caelus taurulus fit. itaque tunc calcitrosi nascuntur et bubulci et qui se ipsi pascunt. (7) in geminis autem nascuntur bigae et
80 boves et colei et qui utrosque parietes linunt. (8) in cancro ego natus sum. ideo multis pedibus sto, et in mari et in terra multa possideo; nam cancer et hoc et illoc quadrat. et ideo iam dudum nihil supra illum posui, ne genesim meam premerem. (9) in leone cataphagae nascuntur et imperiosi; in virgine mulierosi et fugitivi et compediti; (10) in libra laniones et unguentarii et quicumque aliquid expendunt; (11) in scorpione venenarii et percussores; in sagittario strabones, qui holera spectant, lardum tollunt; (12) in capricorno aerumnosi, quibus prae mala sua cornua nascuntur; in aquario copones et cucurbitae; (13) in piscibus obsonatores et rhetores. sic orbis vertitur tamquam mola, et

90 semper aliquid mali facit, ut homines aut nascantur aut pereant.
(14) quod autem in medio caespitem videtis et super caespitem favum,
nihil sine ratione facio. (15) terra mater est in medio quasi ovum
corrotundata, et omnia bona in se habet tamquam favus».

(XL. 1) «Sophos» universi clamamus et sublatis manibus ad
95 cameram iuramus Hipparchum Aratumque comparandos illi homines
non fuisse, donec advenerunt ministri ac toralia praeposuerunt toris, in
quibus retia erant picta subsessoresque cum venabulis et totus
venationis apparatus. (2) necdum sciebamus, <quo> mitteremus
suspiciones nostras, cum extra triclinium clamor sublatus est ingens, et
100 ecce canes Laconici etiam circa mensam discurrere coeperunt.
(3) secutum est hos repositorium, in quo positus erat primae
magnitudinis aper, et quidem pilleatus, e cuius dentibus sportellae
dependebant duae palmulis textae, altera caryotis altera thebaicis
repleta. (4) circa autem minores porcelli ex coptoplacentis facti, quasi
105 uberibus imminerent, scrofam esse positam significabant. et hi quidem
apophoreti fuerunt. (5) ceterum ad scindendum aprum non ille Carpus
accessit, qui altilia laceraverat, sed barbatus ingens, fasciis cruralibus
alligatus et alicula subornatus polymita, strictoque venatorio cultro
latus apri vehementer percussit, ex cuius plaga turdi evolaverunt.
110 (6) parati aucupes cum harundinibus fuerunt et eos circa triclinium
volitantes momento exceperunt. (7) inde cum suum cuique iussisset
referri Trimalchio, adiecit: «etiam videte, quam porcus ille silvaticus
lotam comederit glandem». (8) statim pueri ad sportellas accesserunt,
quae pendebant e dentibus, thebaicasque et caryotas ad numerum
115 divisere cenantibus. (XLI. 1) interim ego, qui privatum habebam
secessum, in multas cogitationes diductus sum, quare aper pilleatus
intrasset. (2) postquam itaque omnis bacalusias consumpsi, duravi
interrogare illum interpretem meum, quod me torqueret. (3) at ille:
«plane etiam hoc servus tuus indicare potest; (4) non enim aenigma est,
120 sed res aperta. hic aper, cum heri summa cena eum vindicasset, a
convivis dimissus <est>; itaque hodie tamquam libertus in convivium
revertitur». (5) damnavi ego stuporem meum et nihil amplius
interrogavi, ne viderer numquam inter honestos cenasse.

(6) Dum haec loquimur, puer speciosus, vitibus hederisque
125 redimitus, modo Bromium, interdum Lyaeum Euhiumque confessus,
calathisco uvas circumtulit et poemata domini sui acutissima voce
traduxit. (7) ad quem sonum conversus Trimalchio «Dionyse, –
inquit, – liber esto». puer detraxit pilleum apro capitique suo imposuit.
(8) tum Trimalchio rursus adiecit: «non negabitis me, – inquit, –

130 habere Liberum patrem». laudavimus dictum [Trimalchionis] et circumeuntem puerum sane perbasiamus.

(9) Ab hoc ferculo Trimalchio ad lasanum surrexit. nos libertatem sine tyranno nacti coepimus invitare [convivarum sermones]. (10) Dama itaque primus cum †pataracina† poposcisset, «dies, – inquit, – nihil est. 135 dum versas te, nox fit. itaque nihil est melius quam de cubiculo recta in triclinium ire. (11) et mundum frigus habuimus. vix me balneus calfecit. tamen calda potio vestiarius est. (12) staminatas duxi, et plane matus sum. vinus mihi in cerebrum abiit».

(XLII. 1) Excepit Seleucus fabulae partem et «ego, – inquit, – non 140 cotidie labor; (2) balniscus enim fullo est, aqua dentes habet, et cor nostrum cotidie liquescit. sed cum mulsi pultarium obduxi, frigori laecasin dico. nec sane lavare potui; fui enim hodie in funus. (3) homo bellus, tam bonus Chrysanthus animam ebulliit. modo modo me appellavit. (4) videor mihi cum illo loqui. heu, eheu. utres inflati 145 ambulamus. minoris quam muscae sumus, <muscae> tamen aliquam virtutem habent, nos non pluris sumus quam bullae. (5) et quid si non abstinax fuisset! quinque dies aquam in os suum non coniecit, non micam panis. tamen abiit ad plures. medici illum perdiderunt, immo magis malus fatus; medicus enim nihil aliud est quam animi 150 consolatio. (6) tamen bene elatus est, vitali lecto, stragulis bonis. planctus est optime – manu misit aliquot – etiam si maligne illum ploravit uxor. (7) quid si non illam optime accepisset! sed mulier quae mulier milvinum genus. neminem nihil boni facere oportet; aequae est enim ac si in puteum conicias. sed antiquus amor cancer est». <...>

PUBLIUS CORNELIUS TACITUS

Публий Корнелий Тацит (ок. 55–120 гг. н. э.) – историк периода императорского Рима. Был блестящим оратором, консулом и членом сената. К его ранним произведениям относятся «Диалог об ораторах», «Агрикола», «Германия». Непосредственно истории Рима посвящены две крупные работы – «История» в 14 книгах и «Анналы» в 16 книгах. Оба произведения дошли до нашего времени в неполном виде, сохранились только некоторые книги. В своих исторических исследованиях Тацит рассматривает историю ранней империи до конца правления Юлиев – Клавдиев. По своим политическим взглядам он был приверженцем аристократического правления и идеализировал древнеримскую республику.

В средние века Тацит не пользовался популярностью, и только к концу XIV в. интерес к его творчеству возродился. Произведениями историка восхищался М. Монтень, под его явным влиянием находился Н. Макиавелли. Знаменитый английский историк Э. Гиббон считал Тацита своим идейным учителем и рассматривал его произведения как образец для собственной «Истории упадка и разрушения Римской империи».

DIALOGUS DE ORATORIBUS*

1 <...> (XVIII. 1) «Haec ideo praedixi, ut si qua ex horum oratorum
fama gloriaque laus temporibus adquiritur, eam docerem in medio sitam
et propiorem nobis quam Servio Galbae aut C. Carboni quosque alios
merito antiquos vocaverimus; sunt enim horridi et inpoliti et rudes et
5 informes et quos utinam nulla parte imitatus esset Calvus vester aut
Caelius aut ipse Cicero. (2) agere enim fortius iam et audentius volo, si
illud ante praedixero, mutari cum temporibus formas quoque et genera
dicendi. sic Catoni seni comparatus C. Gracchus plenior et uberior, sic
Graccho politior et ornatior Crassus, sic utroque distinctior et urbanior et
10 altior Cicero, Cicerone mitior Corvinus et dulcior et in verbis magis
elaboratus. (3) nec quaero quis disertissimus: hoc interim probasse

* Фрагмент «Диалога об ораторах» приводится по изданию: Cornelii Taciti Opera Minora / ed. H. Furneaux. Oxford, 1939.

contentus sum, non esse unum eloquentiae vultum, sed in illis quoque quos vocatis antiquos plures species deprehendi, nec statim deterius esse quod diversum est, vitio autem malignitatis humanae vetera semper in laude, praesentia in fastidio esse. (4) num dubitamus inventos qui prae Catone Appium Caecum magis mirarentur? satis constat ne Ciceroni quidem obtrectatores defuisse, quibus inflatus et tumens nec satis pressus, sed supra modum exsultans et superfluens et parum Atticus videretur. (5) legistis utique et Calvi et Bruti ad Ciceronem missas epistulas, ex quibus facile est deprehendere Calvum quidem Ciceroni visum exsanguem et aridum, Brutum autem otiosum atque diiunctum; rursusque Ciceronem a Calvo quidem male audisse tamquam solutum et enervem, a Bruto autem, ut ipsius verbis utar, tamquam „fractum atque elumbem“. (6) si me interrogas, omnes mihi videntur verum dixisse: sed mox ad singulos veniam, nunc mihi cum universis negotium est.

(XIX. 1) Nam quatenus antiquorum admiratores hunc velut terminum antiquitatis constituere solent, qui usque ad Cassium <Severum faciunt>, quem reum faciunt, quem primum adfirmant flexisse ab illa vetere atque directa dicendi via, non infirmitate ingenii nec inscitia litterarum transtulisse se ad aliud dicendi genus contendo, sed iudicio et intellectu. (2) vidit namque, ut paulo ante dicebam, cum condicione temporum et diversitate aurium formam quoque ac speciem orationis esse mutandam. facile perferabat prior ille populus, ut imperitus et rudis, impeditissimarum orationum spatia, atque id ipsum laudabat, si dicendo quis diem eximeret. (3) iam vero longa principiorum praeparatio et narrationis alte repetita series et multarum divisionum ostentatio et mille argumentorum gradus, et quidquid aliud aridissimis Hermagorae et Apollodori libris praecipitur, in honore erat; quod si quis odoratus philosophiam videretur et ex ea locum aliquem orationi suae insereret, in caelum laudibus ferebatur. (4) nec mirum; erant enim haec nova et incognita, et ipsorum quoque oratorum paucissimi praecepta rhetorum aut philosophorum placita cognoverant. (5) at hercule pervulgatis iam omnibus, cum vix in cortina quisquam adsistat, quin elementis studiorum, etsi non instructus, at certe imbutus sit, novis et exquisitis eloquentiae itineribus opus est, per quae orator fastidium aurium effugiat, utique apud eos iudices, qui vi et potestate, non iure et legibus cognoscunt, nec accipiunt tempora, sed constituunt, nec exspectandum habent oratorem, dum illi libeat de ipso negotio dicere, sed saepe ultro admonent atque alio transgredientem revocant et festinare se testantur.

(XX. 1) Quis nunc feret oratorem de infirmitate valetudinis suae praefantem? qualia sunt fere principia Corvini. quis quinque in Verrem

libros expectabit? quis de exceptione et formula perpetietur illa
inmensa volumina, quae pro M. Tullio aut Aulo Caecina legimus?
(2) praecurrit hoc tempore iudex dicentem et, nisi aut cursu
55 argumentorum aut colore sententiarum aut nitore et cultu descriptionum
invitatus et corruptus est, aversatur [dicentem]. (3) vulgus quoque
adistentium et adfluens et vagus auditor adsuevit iam exigere laetitiam
et pulchritudinem orationis; nec magis perfert in iudiciis tristem et
impexam antiquitatem quam si quis in scaena Roscii aut Turpionis
60 Ambivii exprimere gestus velit. (4) iam vero iuvenes et in ipsa
studiorum incude positi, qui profectus sui causa oratores sectantur, non
solum audire, sed etiam referre domum aliquid illustre et dignum
memoria volunt; traduntque in vicem ac saepe in colonias ac provincias
suas scribunt, sive sensus aliquis arguta et brevi sententia effulsit, sive
65 locus exquisito et poetico cultu enituit. (5) exigitur enim iam ab oratore
etiam poeticus decor, non Accii aut Pacuvii veterno inquinatus, sed ex
Horatii et Virgilii et Lucani sacrario prolatus. (6) horum igitur auribus et
iudiciis obtemperans nostrorum oratorum aetas pulchrior et ornatio
extitit. neque ideo minus efficaces sunt orationes nostrae, quia ad auris
70 iudicantium cum voluptate perveniunt. (7) quid enim, si infirmiora
horum temporum templa credas, quia non rudi caemento et informibus
tegulis exstruuntur, sed marmore nitent et auro radiantur?

(XXI. 1) Equidem fatebor vobis simpliciter me in quibusdam
antiquorum vix risum, in quibusdam autem vix somnum tenere. nec
75 unum de populo Canuti aut Atti[...] de Furnio et Toranio † quique alios in
eodem valetudinario haec ossa et hanc maciem probant: ipse mihi Calvus,
cum unum et viginti, ut puto, libros reliquerit, vix in una et altera
oratiuncula satis facit. (2) nec dissentire ceteros ab hoc meo iudicio video:
quotus enim quisque Calvi in Asitium aut in Drusum legit? at hercule in
80 omnium studiosorum manibus versantur accusationes quae in Vatinium
inscribuntur, ac praecipue secunda ex his oratio; est enim verbis ornata et
sententiis, auribus iudicum accommodata, ut scias ipsum quoque Calvum
intellexisse quid melius esset, nec voluntatem ei, quo <minus> sublimius
et cultius diceret, sed ingenium ac vires defuisse. (3) quid? ex Caelianis
85 orationibus nempe eae placent, sive universae sive partes earum, in
quibus nitorem et altitudinem horum temporum adgnosimus. (4) sordes
autem illae verborum et hians compositio et inconditi sensus redolent
antiquitatem; nec quemquam adeo antiquarium puto, ut Caelium ex ea
parte laudet qua antiquus est. (5) concedamus sane C. Caesari, ut propter
90 magnitudinem cogitationum et occupationes rerum minus in eloquentia
effecerit, quam divinum eius ingenium postulabat, tam hercule quam

Brutum philosophiae suae relinquamus; nam in orationibus minorem esse fama sua etiam admiratores eius fatentur: (6) nisi forte quisquam aut Caesaris pro Decio Samnite aut Bruti pro Deiotaro rege ceterosque
95 eiusdem lentitudinis ac teporis libros legit, nisi qui et carmina eorundem miratur. fecerunt enim et carmina et in bibliothecas rettulerunt, non melius quam Cicero, sed felicius, quia illos fecisse pauciores sciunt. (7) Asinius quoque, quamquam propioribus temporibus natus sit, videtur mihi inter Menenius et Appios studuisse. Pacuvium certe et Accium non
100 solum tragoediis sed etiam orationibus suis expressit; adeo durus et siccus est. (8) oratio autem, sicut corpus hominis, ea demum pulchra est, in qua non eminent venae nec ossa numerantur, sed temperatus ac bonus sanguis implet membra et exsurgit toris ipsosque nervos rubor tegit et decor commendat. (9) nolo Corvinum insequi, quia nec per ipsum stetit quo
105 minus laetitiam nitoremque nostrorum temporum exprimeret, videmus enim quam iudicio eius vis aut animi aut ingenii suffecerit.

(XXII. 1) Ad Ciceronem venio, cui eadem pugna cum aequalibus suis fuit, quae mihi vobiscum est. illi enim antiquos mirabantur, ipse suorum temporum eloquentiam anteponebat; nec ulla re magis eiusdem aetatis
110 oratores praecurrit quam iudicio. (2) primus enim excoluit orationem, primus et verbis dilectum adhibuit et compositioni artem, locos quoque laetiores attentavit et quasdam sententias invenit, utique in iis orationibus, quas senior iam et iuxta finem vitae composuit, id est, postquam magis profecerat usuque et experimentis didicerat quod optimum dicendi genus
115 esset. (3) nam priores eius orationes non carent vitiis antiquitatis: lentus est in principiis, longus in narrationibus, otiosus circa excessus; tarde commovetur, raro incalescit; pauci sensus apte et cum quodam lumine terminantur. nihil excerpere, nihil referre possis, et velut in rudi aedificio, firmus sane paries et duraturus, sed non satis expolitus et splendens.
120 (4) ego autem oratorem, sicut locupletem ac lautum patrem familiae, non eo tantum volo tecto tegi quod imbrem ac ventum arceat, sed etiam quod visum et oculos delectet; non ea solum instrui suppellectile quae necessariis usibus sufficiat, sed sit in apparatu eius et aurum et gemmae, ut sumere in manus et aspicere saepius libeat. (5) quaedam vero procul arceantur ut iam oblitterata et olentia: nullum sit verbum velut rubigine infectum, nulli sensus tarda et inerti structura in morem annalium componantur; fugitet foedam et insulsam scurrilitatem, variet compositionem, nec omnis clausulas uno et eodem modo determinet.

(XXIII. 1) Nolo inridere „rotam Fortunae“ et „ius verrinum“ et
130 illud tertio quoque sensu in omnibus orationibus pro sententia positum „esse videatur“. nam et haec invitus rettuli et plura omisi, quae tamen

sola mirantur atque exprimunt ii, qui se antiquos oratores vocitant.
(2) neminem nominabo, genus hominum significasse contentus; sed
135 vobis utique versantur ante oculos isti, qui Lucilium pro Horatio et
Lucretium pro Virgilio legunt, quibus eloquentia Aufidii Bassi aut
Servillii Noniani ex comparatione Sisennae aut Varronis sordet, qui
rhetorum nostrorum commentarios fastidiunt, oderunt, Calvi mirantur.
(3) quos more prisco apud iudicem fabulantis non auditores sequuntur,
140 non populus audit, vix denique litigator perpetitur: adeo maesti et
inculti illam ipsam, quam iactant, sanitatem non firmitate, sed ieiunio
consequuntur. (4) porro ne in corpore quidem valetudinem medici
probant quae animi anxietate contingit; parum est aegrum non esse:
fortem et laetum et alacrem volo. prope abest ab infirmitate, in quo
sola sanitas laudatur. (5) vos vero, <viri> disertissimi, ut potestis, ut
145 facitis, inlustrate saeculum nostrum pulcherrimo genere dicendi.
(6) nam et te, Messalla, video laetissima quaeque antiquorum
imitantem, et vos, Materne ac Secunde, ita gravitati sensuum nitorem
et cultum verborum miscetis, ea electio inventionis, is ordo rerum, ea,
quotiens causa poscit, ubertas, ea, quotiens permittit, brevitatis, is
150 compositionis decor, ea sententiarum planitas est, sic exprimitis
adfectus, sic libertatem temperatis, ut etiam si nostra iudicia malignitas
et invidia tardaverit, verum de vobis dicturi sint posterii nostri».

(XXIV. 1) Quae cum Aper dixisset, «adgnoscentisne, – inquit
Maternus, – vim et ardorem Apri nostri? quo torrente, quo impetu
155 saeculum nostrum defendit! quam copiose ac varie vexavit antiquos!
quanto non solum ingenio ac spiritu, sed etiam eruditione et arte ab ipsis
mutuatus est per quae mox ipsos incenseret! tuum tamen, Messalla,
promissum immutasse non debet. (2) neque enim defensorem antiquorum
exigimus, nec quemquam nostrum, quamquam modo laudati sumus, iis
160 quos insectatus est Aper comparamus. ac ne ipse quidem ita sentit, sed
more vetere et a nostris philosophis saepe celebrato sumpsit sibi contra
dicendi partis. (3) igitur exprome nobis non laudationem antiquorum
(satis enim illos fama sua laudat), sed causas cur in tantum ab eloquentia
eorum recesserimus, cum praesertim centum et viginti annos ab interitu
165 Ciceronis in hunc diem effici ratio temporum collegerit».

(XXV. 1) Tum Messalla: «sequar praescriptam a te, Materne,
formam; neque enim diu contra dicendum est Apro, qui primum, ut
opinor, nominis controversiam movit, tamquam parum proprie antiqui
vocarentur, quos satis constat ante centum annos fuisse. (2) mihi autem
170 de vocabulo pugna non est; sive illos antiquos sive maiores sive quo alio
mavult nomine appellet, dum modo in confesso sit eminentiorem illorum

temporum eloquentiam fuisse; ne illi quidem parti sermonis eius repugno, si comminus fatetur pluris formas dicendi etiam isdem saeculis, nedum diversis extitisse. (3) sed quo modo inter Atticos oratores primae
175 Demostheni tribuuntur, proximum [autem] locum Aeschines et Hyperides et Lysias et Lycurgus obtinent, omnium autem concessu haec oratorum aetas maxime probatur, sic apud nos Cicero quidem ceteros eorundem temporum disertos antecessit, Calvus autem et Asinius et Caesar et Caelius et Brutus iure et prioribus et sequentibus anteponuntur. (4) nec refert quod inter se specie differunt, cum genere consentiant. adstrictior Calvus, numerosior Asinius, splendidior Caesar, amarior Caelius, gravior Brutus, vehementior et plenior et valentior Cicero: omnes tamen eandem sanitatem eloquentiae <prae se> ferunt, ut si omnium pariter libros in
180 manum sumpseris, scias, quamvis in diversis ingenii, esse quandam iudicii ac voluntatis similitudinem et cognationem. (5) nam quod invicem se obtrexerunt et sunt aliqua epistulis eorum inserta, ex quibus mutua malignitas detegitur, non est oratorum vitium, sed hominum. (6) nam et Calvum et Asinium et ipsum Ciceronem credo solitos et invidere et livere et ceteris humanae infirmitatis vitiis adfici: solum inter hos arbitror Brutum non malignitate nec invidia, sed simpliciter et ingenue iudicium animi sui detexisse. (7) an ille Ciceroni invideret, qui mihi videtur ne Caesari quidem invidisse? quod ad Servium Galbam et C. Laelium attinet, et si quos alios antiquiorum agitare non destitit, non exigit defensorem, cum fatear quaedam eloquentiae eorum ut nascenti adhuc
185 nec satis adultae defuisse.

(XXVI. 1) Ceterum si omissis optimo illo et perfectissimo genere eloquentiae eligenda sit forma dicendi, malim hercule C. Gracchi impetum aut L. Crassi maturitatem quam calamistros Maecenatis aut tinnitus Gallionis: adeo melius est orationem vel hirta toga induere quam fucatis et meretriciis vestibus insignire. (2) neque enim oratorius iste, immo hercule ne virilis quidem cultus est, quo plerique temporum nostrorum actores ita utuntur, ut lascivia verborum et levitate sententiarum et licentia compositionis histrionalis modos expriment. (3) quodque vix auditu fas esse debeat, laudis et gloriae et ingenii loco plerique iactant cantari saltarique commentarios suos. unde oritur illa foeda et praepostera, sed tamen frequens †sicut his cla[...] et exclamatio, ut oratores nostri tenere dicere, histriones diserte saltare dicantur. (4) equidem non negaverim Cassium Severum, quem solum Aper noster nominare ausus est, si iis comparetur, qui postea fuerunt, posse oratorem vocari, quamquam in magna parte (5) librorum suorum plus bilis habeat quam sanguinis. primus enim contempto ordine rerum, omissa modestia
190
200
205
210

ac pudore verborum, ipsis etiam quibus utitur armis incompósitos et studio feriendi plerumque deiectus, non pugnat, sed rixatur. (6) ceterum, ut dixi, sequentibus comparatus et varietate eruditionis et lepore urbanitatis et ipsarum virium robore multum ceteros superat, quorum neminem Aper nominare et velut in aciem educere sustinuit. (7) ego autem exspectabam, ut incusato Asinio et Caelio et Calvo aliud nobis agmen produceret, plurisque vel certe totidem nominaret, ex quibus alium Ciceroni, alium Caesari, singulis deinde singulos opponeremus. (8) nunc detrectasse nominatim antiquos oratores contentus neminem sequentium laudare ausus est nisi in publicum et in commune, veritus credo, ne multos offenderet, si paucos excerpisset. (9) quotus enim quisque scholasticorum non hac sua persuasione fruitur, ut se ante Ciceronem numeret, sed plane post Gabinianum? at ego non verebor nominare singulos, quo facilius propositis exemplis appareat, quibus gradibus fracta sit et deminuta eloquentia». <...>

ANNALES (AB EXCESSU DIVI AUGUSTI)*

LIBER PRIMUS

1 (1) Urbem Romam a principio reges habuere; libertatem et consulatum L. Brutus instituit. dictaturae ad tempus sumebantur; neque decemviralis potestas ultra biennium, neque tribunorum militum consulare ius diu valuit. non Cinnae, non Sullae longa dominatio; et
5 Pompei Crassique potentia cito in Caesarem, Lepidi atque Antonii arma in Augustum cessere, qui cuncta discordiis civilibus fessa nomine principis sub imperium accepit. sed veteris populi Romani prospera vel adversa claris scriptoribus memorata sunt; temporibusque Augusti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliscente adulatione deterrentur. Tiberii Gaique et Claudii ac Neronis res florentibus ipsis ob
10 metum falsae, postquam occiderant recentibus odiis compositae sunt. inde consilium mihi pauca de Augusto et extrema tradere, mox Tiberii principatum et cetera, sine ira et studio, quorum causas procul habeo.

15 (2) Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma, Pompeius apud Siciliam oppressus exutoque Lepido, interfecto Antonio ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus, posito triumviri nomine

* Фрагменты «Анналов» («От кончины божественного Августа») приводятся по изданию: Cornelii Taciti Annalium Ab Excessu Divi Augusti Libri / ed. C. D. Fisher. Oxford, 1906.

consulem se ferens et ad tuendam plebem tribunicio iure contentum, ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paulatim, munia senatus magistratuum legum in se trahere, nullo
20 adversante, cum ferocissimi per acies aut proscriptione cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promptior, opibus et honoribus extollerentur ac novis ex rebus aucti tuta et praesentia quam vetera et periculosa mallent. neque provinciae illum rerum statum abnuebant, suspecto senatus
25 populique imperio ob certamina potentium et avaritiam magistratuum, invalido legum auxilio quae vi ambitu postremo pecunia turbabantur.

(3) Ceterum Augustus subsidia dominationi Claudium Marcellum sororis filium admodum adulescentem pontificatu et curuli aedilitate, M. Agrippam, ignobilem loco, bonum militia et victoriae socium, geminatis consulatibus extulit, mox defuncto Marcello generum sumpsit;
30 Tiberium Neronem et Claudium Drusum privignos imperatoriis nominibus auxit, integra etiam tum domo sua. nam genitos Agrippa Gaium ac Lucium in familiam Caesarum induxerat, necdum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat. ut Agrippa vita concessit, Lucium
35 Caesarem euntem ad Hispaniensis exercitus, Gaium remeantem Armenia et vulnere invalidum mors fato propera vel novercae Liviae dolus abstulit, Drusoque pridem extincto Nero solus e privignis erat, illuc cuncta vergere: filius, collega imperii, consors tribuniciae potestatis adsumitur omnisque per exercitus ostentatur, non obscuris, ut antea, matris artibus,
40 sed palam hortatu. nam senem Augustum devinxerat adeo, uti nepotem unicum, Agrippam Postumum, in insulam Planasiam proiecerit, rudem sane bonarum artium et robore corporis stolide ferocem, nullius tamen flagitii conpertum. at hercule Germanicum Druso ortum octo apud Rhenum legionibus inposuit adscirique per adoptionem a Tiberio iussit,
45 quamquam esset in domo Tiberii filius iuvenis, sed quo pluribus munimentis insisteret. bellum ea tempestate nullum nisi adversus Germanos supererat, abolendae magis infamiae ob amissum cum Quintilio Varo exercitum quam cupidine proferendi imperii aut dignum ob praemium. domi res tranquillae, eadem magistratuum vocabula;
50 iuniores post Actiacam victoriam, etiam senes plerique inter bella civium nati: quotus quisque reliquus qui rem publicam vidisset?

(4) Igitur verso civitatis statu nihil usquam prisca et integri moris: omnes exuta aequalitate iussa principis aspectare, nulla in praesens formidine, dum Augustus aetate validus seque et domum et pacem sustentavit. postquam provecta iam senectus aegro et corpore fatigabatur
55 aderatque finis et spes novae, pauci bona libertatis in cassum disserere,

plures bellum pavescere, alii cupere. pars multo maxima imminentis dominos variis rumoribus differebant: trucem Agrippam et ignominia accensum non aetate neque rerum experientia tantae moli parem, 60 Tiberium Neronem maturum annis, spectatum bello, sed vetere atque insita Claudiae familiae superbia, multaue indicia saevitiae, quamquam premantur, erumpere. hunc et prima ab infantia eductum in domo regnatrice; congestos iuveni consulatus, triumphos; ne iis quidem annis quibus Rhodi specie secessus exul egerit aliud quam iram et 65 simulationem et secretas libidines meditatam. accedere matrem muliebri inpotentia: serviendum feminae duobusque insuper adulescentibus qui rem publicam interim premant quandoque distrahant.

(5) Haec atque talia agitantibus gravescere valetudo Augusti, et quidam scelus uxoris suspectabant. quippe rumor incesserat paucos ante 70 mensis Augustum, electis consociis et comite uno Fabio Maximo, Planasiam vectum ad visendum Agrippam; multas illic utrimque lacrimas et signa caritatis spemque ex eo fore ut iuvenis penatibus avi redderetur: quod Maximum uxori Marciae aperuisse, illam Liviae. gnarum id Caesari; neque multo post extincto Maximo, dubium an quaesita morte, 75 auditos in funere eius Marciae gemitus semet incusantis quod causa exitii marito fuisset. utcumque se ea res habuit, vixdum ingressus Illyricum Tiberius properis matris litteris accitur; neque satis conpertum est spirantem adhuc Augustum apud urbem Nolam an exanimem reppererit. acribus namque custodiis domum et vias saepserat Livia, laetique 80 interdum nuntii vulgabantur, donec provisio quae tempus monebat simul excessisse Augustum et rerum potiri Neronem fama eadem tulit.

(6) Primum facinus novi principatus fuit Postumi Agrippae caedes, quem ignarum inermumque quamvis firmatus animo centurio aegre confecit. nihil de ea re Tiberius apud senatum disseruit: patris iussa 85 simulabat, quibus praescripsisset tribuno custodiae adposito ne cunctaretur Agrippam morte adficere quandoque ipse supremum diem explevisset. multa sine dubio saevaue Augustus de moribus adulescentis questus, ut exilium eius senatus consulto sanciretur perfecerat: ceterum in nullius umquam suorum necem duravit, neque mortem nepoti pro securitate privigni inlatam credibile erat. propius vero Tiberium ac Liviam, illum 90 metu, hanc novercalibus odiis, suspecti et invisivi iuvenis caedem festinavisse. nuntianti centurioni, ut mos militiae, factum esse quod imperasset, neque imperasse sese et rationem facti reddendam apud senatum respondit. quod postquam Sallustius Crispus particeps secretorum 95 (is ad tribunum miserat codicillos) comperit, metuens ne reus subderetur, iuxta periculoso ficta seu vera promeret monuit Liviam ne arcana domus,

ne consilia amicorum, ministeria militum vulgarentur, neve Tiberius vim principatus resolveret cuncta ad senatum vocando: eam condicionem esse imperandi ut non aliter ratio constet quam si uni reddatur.

100 (7) At Romae ruere in servitium consules, patres, eques. quanto quis
inlustrior, tanto magis falsi ac festinantes, vultuque composito ne laeti
excessu principis neu tristiores primordio, lacrimas gaudium, questus
adulationem miscebant. Sex. Pompeius et Sex. Appuleius consules primi
105 in verba Tiberii Caesaris iuravere, aputque eos Seius Strabo et
C. Turranius, ille praetoriarum cohortium praefectus, hic annonae; mox
senatus milesque et populus. nam Tiberius cuncta per consules incipiebat
tamquam vetere re publica et ambiguus imperandi: ne edictum quidem,
quo patres in curiam vocabat, nisi tribuniciae potestatis praescriptione
posuit sub Augusto acceptae. verba edicti fuere pauca et sensu
110 permodesto: de honoribus parentis consulturum, neque abscedere a
corpore idque unum ex publicis muneribus usurpare. sed defuncto
Augusto signum praetoriis cohortibus ut imperator dederat; excubiae,
arma, cetera aulae; miles in forum, miles in curiam comitabatur. litteras
ad exercitus tamquam adepto principatu misit, nusquam cunctabundus
115 nisi cum in senatu loqueretur. causa praecipua ex formidine ne
Germanicus, in cuius manu tot legiones, immensa sociorum auxilia,
mirus apud populum favor, habere imperium quam exspectare mallet.
dabat et famae ut vocatus electusque potius a re publica videretur quam
per uxorium ambitum et senili adoptione inrepsisse. postea cognitum est
120 ad introspectiendas etiam procerum voluntates inductam dubitationem:
nam verba vultus in crimen detorquens recondebat.

(8) Nihil primo senatus die agi passus <est> nisi de supremis
Augusti, cuius testamentum inlatum per virgines Vestae Tiberium et
Liviam heredes habuit. Livia in familiam Iuliam nomenque Augustum
125 adsumebatur; in spem secundam nepotes pronepotesque, tertio gradu
primores civitatis scripserat, plerosque invisos sibi sed iactantia
gloriaque ad posteros. legata non ultra civilem modum, nisi quod
populo et plebi quadringentis tricies quinquies, praetoriarum
cohortium militibus singula nummum milia, <urbanis quingenos,>
130 legionariis aut cohortibus civium Romanorum trecenos nummos
viritim dedit. tum consultatum de honoribus; ex quis <qui> maxime
insignes visi, ut porta triumphali duceretur funus Gallus Asinius, ut
legum latarum tituli, victarum ab eo gentium vocabula anteferrentur
L. Arruntius censuere. addebat Messala Valerius renovandum per
135 annos sacramentum in nomen Tiberii; interrogatusque a Tiberio num
se mandante eam sententiam prompsisset, sponte dixisse respondit,

neque in iis quae ad rem publicam pertinerent consilio nisi suo usurum
vel cum periculo offensionis: ea sola species adulandi supererat.
conclamant patres corpus ad rogam umeris senatorum ferendum.
140 remisit Caesar adroganti moderatione, populumque edicto monuit ne,
ut quondam nimiis studiis funus divi Iulii turbassent, ita Augustum in
foro potius quam in campo Martis, sede destinata, cremari vellent. die
funeris milites velut praesidio stetero, multum inridentibus qui ipsi
viderant quique a parentibus acceperant diem illum crudi adhuc servitii
145 et libertatis inprospere repetitae, cum occisus dictator Caesar aliis
pessimum aliis pulcherrimum facinus videretur: nunc senem
principem, longa potentia, provisus etiam heredum in rem publicam
opibus, auxilio scilicet militari tuendum, ut sepultura eius quieta foret.

(9) Multus hinc ipso de Augusto sermo, plerisque vana mirantibus
150 quod idem dies accepti quondam imperii princeps et vitae supremus,
quod Nolae in domo et cubiculo in quo pater eius Octavius vitam
finivisset. numerus etiam consulatum celebrabatur, quo Valerium
Corvum et C. Marium simul aequaverat; continuata per septem et
triginta annos tribunicia potestas, nomen imperatoris semel atque vicies
155 partum aliaque honorum multiplicata aut nova. at apud prudentis vita
eius varie extollebatur arguebaturve. hi pietate erga parentem et
necessitudine rei publicae, in qua nullus tunc legibus locus, ad arma
civilia actum quae neque parari possent neque haberi per bonas artis.
multa Antonio, dum interfectores patris ulcisceretur, multa Lepido
160 concessisse. postquam hic socordia senuerit, ille per libidines pessum
datus sit, non aliud discordantis patriae remedium fuisse quam <ut> ab
uno regeretur. non regno tamen neque dictatura sed principis nomine
constitutam rem publicam; mari Oceano aut annibus longinquis
saepum imperium; legiones, provincias, classis, cuncta inter se
165 conexas; ius apud civis, modestiam apud socios; urbem ipsam
magnifico ornatu; pauca admodum vi tractata quo ceteris quies esset.

(10) Dicebatur contra: pietatem erga parentem et tempora rei publicae
obtentui sumpta: ceterum cupidine dominandi concitos per largitionem
veteranos, paratum ab adolescente privato exercitum, corruptas consulis
170 legiones, simulatam Pompeianarum gratiam partium; mox ubi decreto
patrum fascis et ius praetoris invaserit, caesis Hirtio et Pansa, sive hostis
illos, seu Pansam venenum vulnere adfusum, sui milites Hirtium et
machinator doli Caesar abstulerat, utriusque copias occupavisse;
extortum invito senatu consulatum, armaque quae in Antonium acceperit
175 contra rem publicam versa; proscriptionem civium, divisiones agrorum
ne ipsis quidem qui fecere laudatas. sane Cassii et Brutorum exitus

paternis inimicitiiis datos, quamquam fas sit privata odia publicis utilitatibus remittere: sed Pompeium imagine pacis, sed Lepidum specie amicitiae deceptos; post Antonium, Tarentino Brundisinoque foedere et nuptiis sororis inlectum, subdolae adfinitatis poenas morte exsolvisse. 180
pacem sine dubio post haec, verum cruentam: Lollianas Varianasque cladis, interfectos Romae Varrones, Egnatios, Iullos. nec domesticis abstinebatur: abducta Neroni uxor et consulti per ludibrium pontifices an concepto necdum edito partu rite nuberet; †que tedii et† Vedii Pollionis 185
luxus; postremo Livia gravis in rem publicam mater, gravis domui Caesarum noverca. nihil deorum honoribus relictum cum se templis et effigie numinum per flamines et sacerdotes coli vellet. ne Tiberium quidem caritate aut rei publicae cura successorem adscitum, sed quoniam adrogantiam saevitiamque eius introsperit, comparatione deterrima sibi 190
gloriam quaesivisse. etenim Augustus paucis ante annis, cum Tiberio tribuniciam potestatem a patribus rursus postularet, quamquam honora oratione, quaedam de habitu cultuque et institutis eius iecerat quae velut excusando exprobraret. ceterum sepultura more perfecta templum et caelestes religiones decernuntur.

195 (11) Versae inde ad Tiberium preces. et ille varie disserebat de magnitudine imperii sua modestia. solam divi Augusti mentem tantae molis capacem: se in partem curarum ab illo vocatum experiendo didicisse quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus. proinde in civitate tot inlustribus viris subnixa non ad unum omnia 200
deferrent: plures facilius munia rei publicae sociatis laboribus exsecuturos. plus in oratione tali dignitatis quam fidei erat; Tiberioque etiam in rebus quas non occuleret, seu natura sive adsuetudine, suspensa semper et obscura verba: tunc vero nitenti ut sensus suos penitus abderet, in incertum et ambiguum magis implicabantur. at 205
patres, quibus unus metus si intellegere viderentur, in questus lacrimas vota effundi; ad deos, ad effigiem Augusti, ad genua ipsius manus tendere, cum proferri libellum recitarique iussit. opes publicae continebantur, quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna, provinciae, tributa aut vectigalia, et necessitates ac largitiones. 210
quae cuncta sua manu perscripserat Augustus addideratque consilium coercendi intra terminos imperii, incertum metu an per invidiam.

(12) Inter quae senatu ad infimas obstationes procumbente, dixit forte Tiberius se ut non toti rei publicae parem, ita quaecumque pars sibi mandaretur eius tutelam suscepturum. tum Asinius Gallus 215
«interrogo, – inquit, – Caesar, quam partem rei publicae mandari tibi velis». percussus inprovisa interrogatione paulum reticuit: dein collecto

220 animo respondit nequaquam decorum pudori suo legere aliquid aut
evitare ex eo cui in universum excusari mallet. rursus Gallus (etenim
vultu offensionem coniectaverat) non idcirco interrogatum ait, ut
divideret quae separari nequirent sed ut sua confessione argueretur
unum esse rei publicae corpus atque unius animo regendum. addidit
225 laudem de Augusto Tiberiumque ipsum victoriarum suarum quaeque in
toga per tot annos egregie fecisset admonuit. nec ideo iram eius lenivit,
pridem invisus, tamquam ducta in matrimonium Vipsania M. Agrippae
filia, quae quondam Tiberii uxor fuerat, plus quam civilia agigaret
Pollionisque Asinii patris ferociam retineret.

(13) Post quae L. Arruntius haud multum discrepans a Galli oratione
perinde offendit, quamquam Tiberio nulla vetus in Arruntium ira: sed
divitem, promptum, artibus egregiis et pari fama publice, suspectabat.
230 quippe Augustus supremis sermonibus cum tractaret quinam adipisci
principem locum suffecturi abnuerent aut in pares vellent vel idem possent
cuperentque, M'. Lepidum dixerat capacem sed aspernantem, Gallum
Asinium avidum et minorem, L. Arruntium non indignum et si casus
daretur ausurum. de prioribus consentitur, pro Arruntio quidam
235 Cn. Pisonem tradidere; omnesque praeter Lepidum variis mox criminibus
struente Tiberio circumventi sunt. etiam Q. Haterius et Mamercus
Scaurus suspicacem animum perstrinxere, Haterius cum dixisset «quo
usque patieris, Caesar, non adesse caput rei publicae?» Scaurus quia
dixerat spem esse ex eo non inritas fore senatus preces quod relationi
240 consulum iure tribuniciae potestatis non intercessisset. in Haterium statim
invectus est; Scaurum, cui inplacabilius irascebatur, silentio tramisit.
fessusque clamore omnium, expostulatione singulorum flexit paulatim,
non ut fateretur suscipi a se imperium, sed ut negare et rogari desineret.
constat Haterium, cum deprecandi causa Palatium introisset
245 ambulantisque Tiberii genua advolveretur, prope a militibus interfectum
quia Tiberius casu an manibus eius impeditus prociderat. neque tamen
periculo talis viri mitigatus est, donec Haterius Augustam oraret eiusque
curatissimis precibus protegeretur.

(14) Multa patrum et in Augustam adulatio. alii parentem, alii
250 matrem patriae appellandam, plerique ut nomini Caesaris adscriberetur
«Iuliae filius» censebant. ille moderandos feminarum honores dictitans
eademque se temperantia usurum in iis quae sibi tribuerentur, ceterum
anxius invidia et muliebre fastigium in deminutionem sui accipiens ne
lictozem quidem ei decerni passus est aramque adoptionis et alia
255 huiusce modi prohibuit. at Germanico Caesari proconsulare imperium
petivit, missique legati qui deferrent, simul maestitiam eius ob

excessum Augusti solarentur. quo minus idem pro Druso postularetur, ea causa quod designatus consul Drusus praesensque erat. candidatos praeturae duodecim nominavit, numerum ab Augusto traditum; et
260 hortante senatu ut auget, iure iurando obstrinxit se non excessurum.

(15) Tum primum e campo comitia ad patres translata sunt: nam ad eam diem, etsi potissima arbitrio principis, quaedam tamen studiis tribuum fiebant. neque populus adeptum ius questus est nisi inani rumore, et senatus largitionibus ac precibus sordidis exsolutus libens
265 tenuit, moderante Tiberio ne plures quam quattuor candidatos commendaret sine repulsa et ambitu designandos. inter quae tribuni plebei petivere ut proprio sumptu ederent ludos qui de nomine Augusti fastis additi Augustales vocarentur. sed decreta pecunia ex aerario, utque per circum triumphali veste uterentur: curru vehi haud
270 permissum. mox celebratio annua ad praetorem translata cui inter civis et peregrinos iurisdictio evenisset. <...>

LIBER QUINTUS DECIMUS

1 <...> (38) Sequitur clades, forte an dolo principis incertum (nam utrumque auctores prodidere), sed omnibus quae huic urbi per violentiam ignium acciderunt gravior atque atrocior. initium in ea parte circi ortum quae Palatino Caelioque montibus contigua est, ubi per tabernas, quibus
5 id mercimonium inerat quo flamma alitur, simul coeptus ignis et statim validus ac vento citus longitudinem circi corripuit. neque enim domus munimentis saeptae vel templa muris cincta aut quid aliud morae interiacebat. impetu pervagatum incendium plana primum, deinde in edita adsurgens et rursus inferiora populando, antiit remedia velocitate mali et
10 obnoxia urbe artis itineribus hucque et illuc flexis atque enormibus vicis, qualis vetus Roma fuit. ad hoc lamenta paventium feminarum, fessa aetate aut rudis pueritiae [aetas], quique sibi quique aliis consulebant, dum trahunt invalidos aut opperiantur, pars mora, pars festinans, cuncta impediabant. et saepe dum in tergum respectant lateribus aut fronte
15 circumveniebantur, vel si in proxima evaserant, illis quoque igni correptis, etiam quae longinqua crediderant in eodem casu reperiebant. postremo, quid vitarent quid peterent ambigui, complere vias, sterni per agros; quidam amissis omnibus fortunis, diurni quoque victus, alii caritate suorum, quos eripere nequiverant, quamvis patente effugio interiere. nec
20 quisquam defendere audebat, crebris multorum minis restinguere prohibentium, et quia alii palam faces iaciebant atque esse sibi auctorem vociferabantur, sive ut raptus licentius exercerent seu iussu.

(39) Eo in tempore Nero Antii agens non ante in urbem regressus

25 est quam domui eius, qua Palatium et Maecenatis hortos continuaverat,
ignis propinquaret. neque tamen sisti potuit quin et Palatium et domus
et cuncta circum haurirentur. sed solacium populo exturbato ac profugo
campum Martis ac monumenta Agrippae, hortos quin etiam suos
patefecit et subitaria aedificia extruxit quae multitudinem inopem
30 acciperent; subvectaque utensilia ab Ostia et propinquis municipiis
pretiumque frumentum minutum usque ad ternos nummos. quae
quamquam popularia in inritum cadebant, quia pervaserat rumor ipso
tempore flagrantis urbis inisse eum domesticam scaenam et cecinisse
Troianum excidium, praesentia mala vetustis cladibus adsimulantem.

35 (40) Sexto demum die apud imas Esquilias finis incendio factus,
prorutis per immensum aedificiis ut continuae violentiae campus et
velut vacuum caelum occurreret. necdum positus metus aut redierat
plebi spes: rursus grassatus ignis patulis magis urbis locis; eoque
strages hominum minor, delubra deum et porticus amoenitati dicatae
40 latius procidere. plusque infamiae id incendium habuit quia praediis
Tigellini Aemilianis proruperat videbaturque Nero condendae urbis
novae et cognomento suo appellandae gloriam quaerere. quippe in
regiones quattuordecim Roma dividitur, quarum quattuor integrae
manebant, tres solo tenus deiectae: septem reliquis pauca tectorum
vestigia supererant, lacera et semusta.

45 (41) Domuum et insularum et templorum quae amissa sunt numerum
inire haud promptum fuerit: sed vetustissima religione, quod Servius
Tullius Lunae et magna ara fanumque quae praesenti Herculi Arcas
Evander sacraverat, aedesque Statoris Iovis vota Romulo Numaque
regia et delubrum Vestae cum Penatibus populi Romani exusta; iam opes
50 tot victoriis quaesitae et Graecarum artium decora, exim monumenta
ingeniorum antiqua et incorrupta, <ut> quamvis in tanta resurgenti urbis
pulchritudine multa seniores meminerint quae reparari nequibant. fuere
qui adnotarent XIII Kal. Sextilis principium incendii huius ortum, et quo
Senones captam urbem inflammaverint. alii eo usque cura progressi sunt
55 ut totidem annos mensisque et dies inter utraque incendia numerent.

(42) Ceterum Nero usus est patriae ruinis extruxitque domum in
qua haud proinde gemmae et aurum miraculo essent, solita pridem et
luxu vulgata, quam arva et stagna et in modum solitudinum hinc silvae
inde aperta spatia et prospectus, magistris et machinatoribus Severo et
60 Celere, quibus ingenium et audacia erat etiam quae natura denegavisset
per artem temptare et viribus principis inludere. namque ab lacu
Averno navigabilem fossam usque ad ostia Tiberina depressuros
promiserant squalenti litore aut per montis adversos. neque enim aliud

65 umidum gignendis aquis occurrit quam Pomptinae paludes: cetera
abrupta aut arentia ac, si perrumpi possent, intolerandus labor nec satis
causae. Nero tamen, ut erat incredibilem cupitor, effodere proxima
Averno iuga conisus est; manentque vestigia inritae spei.

(43) Ceterum urbis quae domui supererant non, ut post Gallica
70 incendia, nulla distinctione nec passim erecta, sed dimensis vicorum
ordinibus et latis viarum spatiis cohibitaque aedificiorum altitudine ac
patefactis areis additisque porticibus quae frontem insularum protegerent.
eas porticus Nero sua pecunia exstructurum purgatasque areas dominis
traditurum pollicitus est. addidit praemia pro cuiusque ordine et rei
75 familiaris copiis finivitque tempus intra quod effectis domibus aut insulis
apiscerentur. ruderi accipiendo Ostiensis paludes destinabat utique naves
quae frumentum Tiberi subvectassent onustae rudere decurrerent;
aedificiaque ipsa certa sui parte sine trabibus saxo Gabino Albanove
solidarentur, quod is lapis ignibus impervius est; iam aqua privatorum
80 licentia intercepta quo largior et pluribus locis in publicum flueret,
custodes; et subsidia reprimendis ignibus in propatulo quisque haberet;
nec communione parietum, sed propriis quaeque muris ambirentur. ea ex
utilitate accepta decorem quoque novae urbi attulere. erant tamen qui
crederent veterem illam formam salubritati magis conduxisse, quoniam
angustiae itinerum et altitudo tectorum non perinde solis vapore
85 perrumperentur: at nunc patulam latitudinem et nulla umbra defensam
graviore aestu ardescere.

(44) Et haec quidem humanis consiliis providebantur. mox petita dis
piacula aditque Sibyllae libri, ex quibus supplicatum Vulcano et Cereri
Proserpinaeque ac propitiata Iuno per matronas, primum in Capitolio,
90 deinde apud proximum mare, unde hausta aqua templum et simulacrum
deae perspersum est; et sellisternia ac pervigilia celebravere feminae
quibus mariti erant. sed non ope humana, non largitionibus principis aut
deum placamentis decedebat infamia quin iussum incendium crederetur.
ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis adfecit
95 quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. auctor nominis
eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum
supplicio adfectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio
rursum erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per
urbem etiam quo cuncta undique atrocita aut pudenda confluent
100 celebranturque. igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio
eorum multitudo ingens haud proinde in crimine incendii quam odio
humani generis convicti sunt. et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum
tergis contacti laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi aut flammandi,

105 atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur. hortos suos
ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae
permixtus plebi vel curriculo insistens. unde quamquam adversus sontis
et novissima exempla meritis miseratio oriebatur, tamquam non utilitate
publica sed in saevitiam unius absumerentur.

110 (45) Interea conferendis pecuniis pervastata Italia, provinciae eversae
sociique populi et quae civitatum liberae vocantur. inque eam praedam
etiam dii cessere, spoliatis in urbe templis egestoque auro quod triumphis,
quod votis omnis populi Romani aetas prospere aut in metu sacraverat.
115 enimvero per Asiam atque Achaiam non dona tantum sed simulacra
numinum abripiiebantur, missis in eas provincias Acrato ac Secundo
Carrinate. ille libertus cuicumque flagitio promptus, hic Graeca doctrina
ore tenuis exercitus animum bonis artibus non induerat. ferebatur Seneca
quo invidiam sacrilegii a semet averteret longinqui ruris secessum
oravisse et, postquam non concedebatur, ficta valetudine quasi aeger
120 nervis cubiculum non egressus. tradidere quidam venenum ei per
libertum ipsius, cui nomen Cleonicus, paratum iussu Neronis vitatumque
a Seneca proditione liberti seu propria formidine, dum persimplici victu
et agrestibus pomis ac, si sitis admoneret, profluente aqua vitam tolerat.

(46) Per idem tempus gladiatores apud oppidum Praeneste temptata
eruptione praesidio militis, qui custos adesset, coerciti sunt, iam
125 Spartacum et vetera mala rumoribus ferente populo, ut est novarum
rerum cupiens pavidusque. nec multo post clades rei navalis accipitur,
non bello (quippe haud alias tam immota pax), sed certum ad diem in
Campaniam redire classem Nero iusserat, non exceptis maris casibus.
ergo gubernatores, quamvis saeviente pelago, a Formiis movere; et gravi
130 Africo, dum promunturium Miseni superare contendunt, Cumanis
litoribus impacti trirremium plerasque et minora navigia passim amiserunt.

(47) Fine anni vulgantur prodigia imminentium malorum nuntia:
vis fulgurum non alias crebrior et sidus cometes, sanguine inlustri
semper Neroni expiatum; bicipites hominum aliorumve animalium
135 partus abiecti in publicum aut in sacrificiis, quibus gravidas hostias
immolare mos est, reperti. et in agro Placentino viam propter natus
vitulus cui caput in crure esset; secutaque haruspicum interpretatio,
parari rerum humanarum aliud caput, sed non fore validum neque
occultum, quia in utero repressum aut iter iuxta editum sit.

140 (48) Ineunt deinde consulatum Silius Nerva et Atticus Vestinus,
coepta simul et aucta coniuratione in quam certatim nomina dederant
senatores eques miles, feminae etiam, cum odio Neronis tum favore in
C. Pisonem. is Calpurnio genere ortus ac multas insignisque familias

145 paterna nobilitate complexus, claro apud vulgum rumore erat per
virtutem aut species virtutibus similis. namque facundiam tuendis
civibus exercebat, largitionem adversum amicos, et ignotis quoque
comi sermone et congressu; aderant etiam fortuita, corpus procerum,
decora facies: sed procul gravitas morum aut voluptatum parsimonia;
150 levitati ac magnificentiae et aliquando luxu indulgebat, idque pluribus
probabatur qui in tanta vitiorum dulcedine summum imperium non
restrictum nec perseverum voluit.

(49) Initium coniurationi non a cupidine ipsius fuit: nec tamen
facile memoraverim quis primus auctor, cuius instinctu concitum sit
quod tam multi sumpserunt. promptissimos Subrium Flavum tribunum
155 praetoriae cohortis et Sulpicium Asprum centurionem exitisse
constantia exitus docuit; et Lucanus Annaeus Plautiusque Lateranus
vivida odia intulere. Lucanum propriae causae accendebant, quod
famam carminum eius premebat Nero prohibueratque ostentare, vanus
adsimulatione: Lateranum consulem designatum nulla iniuria sed amor
160 rei publicae sociavit. at Flavius Scaevinus et Afranius Quintianus,
uterque senatorii ordinis, contra famam sui principium tanti facinoris
capessivere: nam Scaevino dissoluta luxu mens et proinde vita somno
languida; Quintianus mollitia corporis infamis et a Nerone probroso
carmine diffamatus contumeliam ultum ibat.

165 (50) Ergo dum scelera principis et finem adesse imperio
deligendumque qui fessis rebus succurreret inter se aut inter amicos
iaciunt, adgregavere Claudium Senecionem, Cervarium Proculum,
Vulcacium Araricum, Iulium Augurinum, Munatium Gratum, Antonium
Natalem, Marcium Festum, equites Romanos; ex quibus Senecio, e
170 praecipua familiaritate Neronis, speciem amicitiae etiam tum retinens eo
pluribus periculis conflictabatur: Natalis particeps ad omne secretum
Pisoni erat; ceteris spes ex novis rebus petebatur. adscitae sunt super
Subrium et Sulpicium, de quibus rettuli, militares manus Gavius Silvanus
et Stadius Proxumus tribuni cohortium praetoriarum, Maximus Scaurus et
175 Venetus Paulus centuriones. sed summum robur in Faenio Rufo praefecto
videbatur, quem vita famaue laudatum per saevitiam impudicitiamque
Tigellinus in animo principis antibat fatigabatque criminationibus ac saepe
in metum adduxerat quasi adulterum Agrippinae et desiderio eius ultioni
intentum. igitur ubi coniuratis praefectum quoque praetorii in partis
180 descendisse crebro ipsius sermone facta fides, promptius iam de tempore
ac loco caedis agitabant. et cepisse impetum Subrius Flavius ferebatur in
scaena canentem Neronem adgrediendi, aut cum ardente domo per noctem
huc illuc cursaret incustoditus. hic occasio solitudinis, ibi ipsa frequentia

185 tanti decoris testis pulcherrima animum extimulaverant, nisi impunitatis
cupido retinisset, magnis semper conatibus adversa.

(51) Interim cunctantibus prolatantibusque spem ac metum Epicharis
quaedam, incertum quonam modo sciscitata (neque illi ante ulla rerum
honestarum cura fuerat), accendere et arguere coniuratos, ac postremum
190 lentitudinis eorum pertaesa et in Campania agens primores classiariorum
Misenensium labefacere et conscientia inligare conisa est tali initio. erat
nauarchus in ea classe Volusius Proculus, occidendae matris Neroni inter
ministros, non ex magnitudine sceleris proventus, ut rebatur. is mulieri
olim cognitus, seu recens orta amicitia, dum merita erga Neronem sua et
quam in inritum cecidissent aperit adicitque questus et destinationem
195 vindictae, si facultas oreretur, spem dedit posse impelli et pluris
conciliare: nec leve auxilium in classe, crebras occasiones, quia Nero
multo apud Puteolos et Misenum maris usu laetabatur. ergo Epicharis
plura; et omnia scelera principis orditur, neque senatui quidquam manere.
sed provisum quonam modo poenas eversae rei publicae daret:
200 accingeretur modo navare operam et militum acerrimos ducere in partis,
ac digna pretia expectaret; nomina tamen coniuratorum reticuit. unde
Proculi indicium inritum fuit, quamvis ea quae audierat ad Neronem
detulisset. accita quippe Epicharis et cum indice composita nullis testibus
innisum facile confutavit. sed ipsa in custodia retenta est, suspectante
205 Nerone haud falsa esse etiam quae vera non probabantur.

(52) Coniuratis tamen metu proditionis permotis placitum maturare
caedem apud Baias in villa Pisonis, cuius amoenitate captus Caesar
crebro ventitabat balneasque et epulas inibat omissis excubiis et fortunae
suae mole. sed abnuit Piso invidiam praetendens, si sacra mensae diique
210 hospitales caede qualiscumque principis cruentarentur: melius apud
urbem in illa invisa et spoliis civium extracta domo vel in publico
patratos quod pro re publica suscepissent. haec in commune, ceterum
timore occulto ne L. Silanus eximia nobilitate disciplinaque C. Cassii,
apud quem educatus erat, ad omnem claritudinem sublatus imperium
215 invaderet, promptly daturis qui a coniuratione integri essent quique
miserarentur Neronem tamquam per scelus interfectum. plerique Vestini
quoque consulis acre ingenium vitavisse Pisonem crediderunt, ne ad
libertatem oreretur vel delecto imperatore alio sui muneris rem publicam
faceret. etenim expers coniurationis erat, quamvis super eo crimine Nero
220 vetus adversum insontem odium expleverit.

(53) Tandem statuere circensium ludorum die, qui Cereri celebratur,
exequi destinata, quia Caesar rarus egressu domoque aut hortis clausus
ad ludicra circi ventitabat promptioresque aditus erant laetitia spectaculi.

225 ordinem insidiis composuerant, ut Lateranus, quasi subsidium rei
familiari oraret, deprecabundus et genibus principis accidens
prosterneret incautum premeretque, animi validus et corpore ingens;
tum iacentem et impeditum tribuni et centuriones et ceterorum, ut
quisque audentiae habuisset, adcurrerent trucidarentque, primas sibi
230 partis expostulante Scaevino, qui pugionem templo Salutis [in Etruria]
sive, ut alii tradidere, Fortunae Ferentino in oppido detraxerat
gestabatque velut magno operi sacrum. interim Piso apud aedem Cereris
opperiretur, unde eum praefectus Faenius et ceteri accitum ferrent in
castra, comitante Antonia, Claudii Caesaris filia, ad eliciendum vulgi
favorem, quod C. Plinius memorat. nobis quoquo modo traditum non
235 occultare in animo fuit, quamvis absurdum videretur aut inanem ad
spem Antoniam nomen et periculum commodavisse aut Pisonem notum
amore uxoris alii matrimonio se obstrinxisse, nisi si cupido dominandi
cunctis adfectibus flagrantior est.

(54) Sed mirum quam inter diversi generis ordinis, aetatis sexus, ditis
240 pauperes taciturnitate omnia cohibita sint, donec proditio coepit e domo
Scaevini; qui pridie insidiarum multo sermone cum Antonio Natale, dein
regressus domum testamentum obsignavit, promptum vagina pugionem,
de quo supra rettuli, vetustate obtusum increpans asperari saxo et in
mucronem ardere iussit eamque curam liberto Milicho mandavit.
245 simul adfluentius solito convivium initum, servorum carissimi libertate et
alii pecunia donati; atque ipse maestus et magnae cogitationis manifestus
erat, quamvis laetitiam vagis sermonibus simularet. postremo vulneribus
ligamenta quibusque sistitur sanguis parare eundem Milichum monet,
sive gnarum coniurationis et illuc usque fidum, seu nescium et tunc
250 primum arreptis suspicionibus, ut plerique tradidere [de consequentibus].
nam cum secum servilis animus praemia perfidiae reputavit simulque
immensa pecunia et potentia obversabantur, cessit fas et salus patroni et
acceptae libertatis memoria. etenim uxoris quoque consilium adsumpserat
muliebre ac deterius: quippe ultro metum intentabat, multosque adstissime
255 libertos ac servos qui eadem viderint: nihil profuturum unius silentium, at
praemia penes unum fore qui indicio praevenisset.

(55) Igitur coepta luce Milichus in hortos Servilianos pergit; et cum
foribus arceretur, magna et atrocia adferre dictitans deductusque ab
ianitoribus ad libertum Neronis Epaphroditum, mox ab eo ad Neronem,
260 urgens periculum, gravis coniuratos et cetera quae audiverat
coniectaverat docet. telum quoque in necem eius paratum ostendit
accirque reum iussit. is raptus per milites et defensionem orsus, ferrum
cuius argueretur olim religione patria cultum et in cubiculo habitum ac

265 fraude liberti subreptum respondit. tabulas testamenti saepius a se et
incustodita dierum observatione signatas. pecunias et libertates servis
et ante dono datas, sed ideo tunc largius quia tenui iam re familiari et
instantibus creditoribus testamento diffideret. enimvero liberalis
semper epulas struxisse, vitam amoenam et duris iudicibus parum
270 probatam. fomenta vulneribus nulla iussu suo sed, quia cetera palam
vana obiecisset, adiungere crimen cuius se pariter indicem et testem
faceret. adicit dictis constantiam; incusat ultro intestabilem et
consceleratum tanta vocis ac vultus securitate ut labaret indicium, nisi
Milichum uxor admonuisset Antonium Natalem multa cum Scaevino
ac secreta conlocutum et esse utrosque C. Pisonis intimos.

275 (56) Ergo accitur Natalis et diversi interrogantur quisnam is sermo,
qua de re fuisset. tum exorta suspicio, quia non congruentia responderant,
inditaque vincla. et tormentorum aspectum ac minas non tulere: prior
tamen Natalis, totius conspirationis magis gnarus, simul arguendi peritior,
de Pisone primum fatetur, deinde adicit Annaeum Senecam, sive
280 internuntius inter eum Pisonemque fuit, sive ut Neronis gratiam pararet,
qui infensus Senecae omnis ad eum opprimendum artes conquirebat. tum
cognito Natalis indicio Scaevinus quoque pari imbecillitate, an cuncta
iam patefacta credens nec ullum silentii emolumentum, edidit ceteros. ex
quibus Lucanus Quintianusque et Senecio diu abnuere: post promissa
285 impunitate corrupti, quo tarditatem excusarent, Lucanus Aciliam matrem
suam, Quintianus Glitium Gallum, Senecio Annium Pollionem,
amicorum praecipuos, nominavere.

(57) Atque interim Nero recordatus Volusii Proculi indicio Epicharin
attineri ratusque muliebri corpus impar dolori tormentis dilacerari iubet.
290 at illam non verbera, non ignes, non ira eo acrius torquentium ne a femina
spernerentur, pervicere quin obiecta denegaret. sic primus quaestionis
dies contemptus. postero cum ad eosdem cruciatus retraheretur gestamine
sellae (nam dissolutis membris insistere nequibat), vincolo fasciae, quam
pectori detraxerat, in modum laquei ad arcum sellae restricto indidit
295 cervicem et corporis pondere conisa tenuem iam spiritum expressit,
clariore exemplo libertina mulier in tanta necessitate alienos ac prope
ignotos protegendo, cum ingenui et viri et equites Romani senatoresque
intacti tormentis carissima suorum quisque pignorum proderent. non
enim omittebant Lucanus quoque et Senecio et Quintianus passim
300 conscios edere, magis magisque pavido Nerone, quamquam multiplicatis
excubiis semet saepsisset.

(58) Quin et urbem per manipulos occupatis moenibus, incesso etiam
mari et amne, velut in custodiam dedit. volitabantque per fora, per domos,

305 rura quoque et proxima municipiorum pedites equitesque, permixti
Germanis, quibus fidebat princeps quasi externis. continua hinc et vincta
agmina trahi ac foribus hortorum adiacere. atque ubi dicendam ad causam
introissent, laetatum erga coniuratos et fortuitus sermo et subiti occursum,
si convivium, si spectaculum simul inissent, pro crimine accipi, cum
310 super Neronis ac Tigellini saevas percontationes Faenius quoque Rufus
violenter urgeret, nondum ab indicibus nominatus, et quo fidem inscitiae
pararet, atrox adversus socios. idem Subrio Flavo adsistenti aduentique
an inter ipsam cognitionem destringeret gladium caedemque patraret,
rennuit infregitque impetum iam manum ad capulum referentis.

(59) Fuere qui prodita coniuratione, dum auditur Milichus, dum dubitat
315 Scaevinus, hortarentur Pisonem pergere in castra aut rostra escendere
studiaque militum et populi temptare. si conatibus eius conscii
adgregarentur, secuturos etiam integros; magnamque motae rei famam,
quae plurimum in novis consiliis valeret. nihil adversum haec Neroni
provisum. etiam fortis viros subitis terreri, nedum ille scaenicus, Tigellino
320 scilicet cum paelicibus suis comitante, arma contra cieret. multa
experiendo confieri quae segnibus ardua videantur. frustra silentium et
fidem in tot consciorum animis et corporibus sperare: cruciatui aut praemio
cuncta pervia esse. venturos qui ipsum quoque vincirent, postremo indigna
nece adficerent. quanto laudabilius periturum, dum amplectitur rem
325 publicam, dum auxilia libertati invocat. miles potius deesset et plebes
desereret, dum ipse maioribus, dum posteris, si vita praeiperetur, mortem
adprobaret. immotus his et paululum in publico versatus, post domi
secretus, animum adversum suprema firmabat, donec manus militum
adveniret quos Nero tirones aut stipendiis recentis delegerat: nam vetus
330 miles timebatur tamquam favore imbutus. obiit abruptis brachiorum venis.
testamentum foedis adversus Neronem adulationibus amanti uxoris dedit,
quam degenerem et sola corporis forma commendatam amici matrimonio
abstulerat. nomen mulieri Satria Galla, priori marito Domitius Silus: hic
patientia, illa impudicitia Pisonis infamiam propagavere.

335 (60) Proximam necem Plautii Laterani consulis designati Nero
adiungit, adeo prope ut non complecti liberos, non illud breve mortis
arbitrium permetteret. raptus in locum servilibus poenis sepositum
manu Statii tribuni trucidatur, plenus constantis silentii nec tribuno
obiiciens eandem conscientiam.

340 Sequitur caedes Annaei Senecae, laetissima principi, non quia
coniurationis manifestum compererat, sed ut ferro grassaretur, quando
venenum non processerat. solus quippe Natalis et hactenus prompsit
missum se ad aegrotum Senecam uti viseret conquerereturque cur

345 Pisonem aditu arceret: melius fore si amicitiam familiari congressu
exercuissent; et respondisse Senecam sermones mutuos et crebra
conloquia neutri conducere; ceterum salutem suam incolumitate Pisonis
inniti. haec ferre Gavius Silvanus tribunus praetoriae cohortis et an dicta
Natalis suaque responsa nosceret percontari Senecam iubetur. is forte an
350 prudens ad eum diem ex Campania remeaverat quartumque apud lapidem
suburbano rure substiterat. illo propinqua vespera tribunus venit et villam
globis militum saepsit; tum ipsi cum Pompeia Paulina uxore et amicis
duobus epulanti mandata imperatoris edidit.

(61) Seneca missum ad se Natalem conquestumque nomine Pisonis
quod a visendo eo prohiberetur, seque rationem valetudinis et amorem
355 quietis excusavisse respondit. cur salutem privati hominis incolumitati
suae anteferet causam non habuisse; nec sibi promptum in adulationes
ingenium. idque nulli magis gnarum quam Neroni, qui saepius libertatem
Senecae quam servitium expertus esset. ubi haec a tribuno relata sunt
360 Poppaea et Tigellino coram, quod erat saevienti principi intimum
consiliorum, interrogat an Seneca voluntariam mortem pararet. tum
tribunus nulla pavoris signa, nihil triste in verbis eius aut vultu deprensus
confirmavit. ergo regredi et indicere mortem iubetur. tradit Fabius
Rusticus non eo quo venerat itinere reditum sed flexisse ad Faenium
365 praefectum, et expositis Caesaris iussis an obtemperaret interrogavisse,
monitumque ab eo ut exequeretur, fatali omnium ignavia. nam et
Silvanus inter coniuratos erat augebatque scelera in quorum ultionem
consenserat. voci tamen et aspectui pepercit intromisitque ad Senecam
unum ex centurionibus qui necessitatem ultimam denuntiaret.

(62) Ille interritus poscit testamenti tabulas; ac denegante
370 centurione conversus ad amicos, quando meritis eorum referre gratiam
prohiberetur, quod unum iam et tamen pulcherrimum habeat,
imaginem vitae suae relinquere testatur, cuius si memores essent,
bonarum artium famam fructum constantis amicitiae laturos. simul
375 lacrimas eorum modo sermone, modo intentior in modum coercentis ad
firmitudinem revocat, rogitans ubi praecepta sapientiae, ubi tot per
annos meditata ratio adversum imminetia? cui enim ignaram fuisse
saevitiam Neronis? neque aliud superesse post matrem fratremque
interfectos quam ut educatoris praeceptorisque necem adiceret.

(63) Ubi haec atque talia velut in commune disseruit, complectitur
380 uxorem et paululum adversus praesentem fortitudinem mollitus rogat
oratque temperaret dolori neu aeternum susciperet, sed in
contemplatione vitae per virtutem actae desiderium mariti solaciis
honestis toleraret. illa contra sibi quoque destinata mortem adseverat

manumque percussoris exposcit. tum Seneca gloriae eius non adversus,
385 simul amore, ne sibi unice dilectam ad iniurias relinqueret, «vitae, –
inquit, – delenimenta monstraveram tibi, tu mortis decus mavis: non
invidebo exemplo. sit huius tam fortis exitus constantia penes utrosque
par, claritudinis plus in tuo fine». post quae eodem ictu brachia ferro
exolvunt. Seneca, quoniam senile corpus et parco victu tenuatum lenta
390 effugia sanguini praebebat, crurum quoque et poplitum venas
abrupit; saevisque cruciatibus defessus, ne dolore suo animum uxoris
infringeret atque ipse visendo eius tormenta ad impatientiam
delaberetur, suadet in aliud cubiculum abscedere. et novissimo quoque
395 momento suppeditante eloquentia advocatis scriptoribus pleraque
tradidit, quae in vulgus edita eius verbis invertere supersedeo.

(64) At Nero nullo in Paulinam proprio odio, ac ne glisceret invidia
crudelitatis, <iubet> inhiberi mortem. hortantibus militibus servi libertique
obligant brachia, premunt sanguinem, incertum an ignarae. nam ut est
vulgus ad deteriora promptum, non defuere qui crederent, donec
400 implacabilem Neronem timuerit, famam sociatae cum marito mortis
petivisse, deinde oblata mitiore spe blandimentis vitae evictam; cui addidit
paucos postea annos, laudabili in maritum memoria et ore ac membris in
eum pallorem albensibus ut ostentui esset multum vitalis spiritus egestum.
Seneca interim, durante tractu et lentitudine mortis, Statium Annaeum, diu
405 sibi amicitiae fide et arte medicinae probatum, orat provisum pridem
venenum quo damnati publico Atheniensium iudicio extinguerentur
promeret; adlatumque hausit frustra, frigidus iam artus et cluso corpore
adversum vim veneni. postremo stagnum calidae aquae introiit, respiciens
proximos servorum addita voce libare se liquorem illum Iovi liberatori.
410 exim balneo inlatus et vapore eius exanimatus sine ullo funeris sollempni
crematur. ita codicillis praescripserat, cum etiam tum praedives et
praepotens supremis suis consuleret.

(65) Fama fuit Subrium Flavum cum centurionibus occulto consilio
neque tamen ignorante Seneca destinavisse ut post occisum opera
415 Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur tradereturque imperium
Senecae, quasi insontibus claritudine virtutum ad summum fastigium
delecto. quin et verba Flavi vulgabantur, non referre dedecori si
citharoedus demoveretur et tragoedus succederet, quia ut Nero cithara,
ita Piso tragico ornatu canebat.

420 (66) Ceterum militaris quoque conspiratio non ultra fefellit,
accensis indicibus ad prodendum Faenium Rufum, quem eundem
conscium et inquisitorem non tolerabant. ergo instanti minitanti
renidens Scaevinus neminem ait plura scire quam ipsum, hortaturque

425 ultro redderet tam bono principi vicem. non vox adversum ea Faenio,
non silentium, sed verba sua praepediens et pavoris manifestus,
ceterisque ac maxime Cervario Procuro equite Romano ad
convincendum eum conisis, iussu imperatoris a Cassio milite, qui ob
insigne corporis robur adstabat, corripitur vinciturque.

430 (67) Mox eorundem indicio Subrius Flavius tribunus pervertitur, primo
dissimilitudinem morum ad defensionem trahens, neque se armatum cum
inermibus et effeminatis tantum facinus consociaturum; dein, postquam
urgebatur, confessionis gloriam amplexus. interrogatusque a Nerone quibus
causis ad oblivionem sacramenti processisset, «oderam te, – inquit, – nec
435 quisquam tibi fidelior militum fuit, dum amari meruisti. odisse coepi,
postquam parricida matris et uxoris, auriga et histrio et incendiarius
extitisti». ipsa rettuli verba, quia non, ut Senecae, vulgata erant, nec minus
nosci decebat militaris viri sensus incomptos et validos. nihil in illa
coniuratione gravius auribus Neronis accidisse constitit, qui ut faciendis
440 sceleribus promptus, ita audiendi quae faceret insolens erat. poena Flavi
Veiano Nigro tribuno mandatur. is proximo in agro scrobem effodi iussit,
quam Flavius ut humilem et angustam increpans, circumstantibus militibus,
«ne hoc quidem, – inquit, – ex disciplina». admonitusque fortiter protendere
cervicem, «utinam, – ait, – tu tam fortiter ferias!» et ille multum tremens,
cum vix duobus ictibus caput amputavisset, saevitiam apud Neronem
445 iactavit, sesquiplaga interfectum a se dicendo.

(68) Proximum constantiae exemplum Sulpicius Asper centurio
praebuit, percontanti Nerone cur in caedem suam conspiravisset
breviter respondens non aliter tot flagitiis eius subveniri potuisse: tum
iussam poenam subiit. nec ceteri centuriones in perpetiendis suppliciis
450 degeneravere: at non Faenio Rufo par animus, sed lamentationes suas
etiam in testamentum contulit.

Opperiebatur Nero ut Vestinus quoque consul in crimen traheretur,
violentum et infensum ratus: sed ex coniuratis consilia cum Vestino non
miscuerant, quidam vetustis in eum similitudinibus, plures quia praecipitem
455 et insociabilem credebant. ceterum Nerone odium adversum Vestinum ex
intima sodalitate coeperat, dum hic ignaviam principis penitus cognitam
despicit, ille ferociam amici metuit, saepe asperis facitiis inclusus, quae
ubi multum ex vero traxere, acrem sui memoriam relinquunt. accesserat
repens causa quod Vestinus Statiliam Messalinam matrimonio sibi
460 iunxerat, haud nescius inter adulteros eius et Caesarem esse.

(69) Igitur non crimine, non accusatore existente, quia speciem iudicis
induere non poterat, ad vim dominationis conversus Gerellanus
tribunum cum cohorte militum immittit iubetque praevenire conatus

465 consulis, occupare velut arcem eius, opprimere delectam iuventutem, quia
Vestinus imminenti foro aedis decoraque servitia et pari aetate habebat.
cuncta eo die munia consulis impleverat conviviumque celebrabat, nihil
metuens an dissimulando metu, cum ingressi milites vocari eum a tribuno
dixere. ille nihil demoratus exsurgit et omnia simul properantur: clauditur
470 cubiculo, praesto est medicus, abscinduntur venae, vicens adhuc balneo
infertur, calida aqua mersatur, nulla edita voce qua semet miseraretur.
circumdati interim custodia qui simul discubuerant, nec nisi provecta
nocte omissi sunt, postquam pavorem eorum, ex mensa exitium
opperientium, et imaginatus et inridens Nero satis supplicii luisse ait pro
epulis consularibus.

475 (70) Exim Annaei Lucani caedem imperat. is profluente sanguine ubi
frigescere pedes manusque et paulatim ab extremis cedere spiritum
fervido adhuc et compote mentis pectore intellegit, recordatus carmen a
se compositum quo vulneratum militem per eius modi mortis imaginem
obisse tradiderat, versus ipsos rettulit eaque illi suprema vox fuit. Senecio
480 posthac et Quintianus et Scaevinus non ex priore vitae mollitia, mox
reliqui coniuratorum periere, nullo facto dictove memorando.

(71) Sed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis; alius
filio, fratre alius aut propinquo aut amico interfectis, agere grates deis, ornare
laurum domum, genua ipsius advolvi et dextram osculis fatigare. atque ille
485 gaudium id credens Antonii Natalis et Cervarii Proculi festinata indicia
impunitate remuneratur. Milichus praemiis ditatus conservatoris sibi nomen,
Graeco eius rei vocabulo, adsumpsit. e tribunis Gavius Silvanus quamvis
absolutus sua manu cecidit; Staius Proxumus veniam quam ab imperatore
acceperat vanitate exitus corruptit. exuti dehinc tribunatu [...] Pompeius,
490 Cornelius Martialis, Flavius Nepos Staius Domitius, quasi principem non
quidem odissent sed tamen existimarentur. Novio Prisco per amicitiam
Senecae et Glitio Gallo atque Annio Pollioni infamatis magis quam
convictis data exilia. Priscum Artoria Flaccilla coniunx comitata est, Gallum
Egnatia Maximilla, magnis primum et integris opibus, post ademptis; quae
495 utraque gloriam eius auxere. pellitur et Rufrius Crispinus occasione
coniurationis, sed Neroni invisus quod Poppaeam quondam matrimonio
tenuerat. Verginium <Flavum et Musonium> Rufum claritudo nominis
expulit: nam Verginius studia iuvenum eloquentia, Musonius praeceptis
sapientiae fovebat. Cluvidieno Quietio, Iulio Agrippae, Blitio Catulino,
500 Petronio Prisco, Iulio Altino velut in agmen et numerum, Aegaei maris
insulae permittuntur. at Caedicia uxor Scaevini et Caesennius Maximus
Italia prohibentur, reos fuisse se tantum poena experti. Acilia mater Annaei
Lucani sine absoluteione, sine supplicio dissimulata.

505 (72) Quibus perpetratis Nero et contione militum habita bina
nummum milia viritim manipularibus divisit addiditque sine pretio
frumentum, quo ante ex modo annonae utebantur. tum quasi gesta
bello expositurus vocat senatum et triumphale decus Petronio
Turpiliano consulari, Cocceio Nervae praetori designato, Tigellino
510 praefecto praetorii tribuit, Tigellinum et Nervam ita extollens ut super
triumphalis in foro imagines apud Palatium quoque effigies eorum
sisteret. consularia insignia Nymphidio [...] quia nunc primum oblatum
est, pauca repetam: nam et ipse pars Romanarum cladum erit. igitur
matre libertina ortus quae corpus decorum inter servos libertosque
515 principum vulgaverat, ex G. Caesare se genitum ferebat, quoniam forte
quadam habitu procerus et torvo vultu erat, sive G. Caesar, scortorum
quoque cupiens, etiam matri eius inludit [...]

(73) Sed Nero vocato senatu, oratione inter patres habita, edictum
apud populum et conlata in libros indicia confessionesque damnatorum
adiunxit. etenim crebro vulgi rumore lacerabatur, tamquam viros
520 <claros> et insontis ob invidiam aut metum extinxisset. ceterum coeptam
adultamque et revictam coniurationem neque tunc dubitavere quibus
verum noscendi cura erat, et fatentur qui post interitum Neronis in urbem
regressi sunt. at in senatu cunctis, ut cuique plurimum maeroris, in
adulationem demissis, Iunium Gallionem, Senecae fratris morte pavidum
525 et pro sua incolumitate supplicem, increpuit Salienus Clemens, hostem et
parricidam vocans, donec consensu patrum deterritus est, ne publicis
malis abuti ad occasionem privati odii videretur, neu composita aut
oblitterata mansuetudine principis novam ad saevitiam retraheret.

(74) Tum [decreta] dona et grates deis decernuntur, propriusque
530 honos Soli, cui est vetus aedes apud circum in quo facinus parabatur,
qui occulta coniurationis numine retexisset; utque circensium
Cerealium ludicrum pluribus equorum cursibus celebraretur mensisque
Aprilis Neronis cognomentum acciperet; templum Saluti extrueretur eo
loci [...] ex quo Scaevinus ferrum prompserat. ipse eum pugionem
535 apud Capitolium sacravit inscripsitque Iovi Vindici: in praesens haud
animadversum; post arma Iulii Vindicis ad auspiciam et praesagium
futuram ultionis trahebatur. reperio in commentariis senatus Cerialem
Anicium consulem designatum pro sententia dixisse ut templum divo
Neroni quam maturrime publica pecunia poneretur. quod quidem ille
540 decernebat tamquam mortale fastigium egresso et venerationem
hominum merito, <sed ipse prohibuit, ne interpretatione> quorundam
ad omen malum sui exitus verteretur: nam deum honor principi non
ante habetur quam agere inter homines desierit.

LIBER SEXTUS DECIMUS

1 (1) Inludit dehinc Neroni fortuna per vanitatem ipsius et promissa
Caeselli Bassi, qui origine Poenus, mente turbida, nocturnae quietis
imaginem ad spem haud dubiae rei traxit, vectusque Romam, principis
aditum emeratus, expromit repertum in agro suo specum altitudine
5 immensa, quo magna vis auri contineretur, non in formam pecuniae
sed rudi et antiquo pondere. lateres quippe praegravis iacere,
adstantibus parte alia columnis; quae per tantum aevi occulta augendis
praesentibus bonis. ceterum, ut coniectura demonstrabat, Dido
Phoenissam Tyro profugam condita Carthagine illas opes abdidisse, ne
10 novus populus nimia pecunia lasciviret aut reges Numidarum, et alias
infensi, cupidine auri ad bellum accenderentur.

(2) Igitur Nero, non auctoris, non ipsius negotii fide satis spectata nec
missis per quos nosceret an vera adferrentur, auget ultro rumorem
mittitque qui velut paratam praedam adveherent. dantur triremes et
15 delectum remigium iuvandae festinationi. nec aliud per illos dies populus
credulitate, prudentes diversa fama tulere. ac forte quinquennale ludicum
secundo lustro celebrabatur, ab oratoribusque praecipua materia in
laudem principis adsumpta est. non enim solitas tantum fruges nec
confusum metallis aurum gigni, sed nova ubertate provenire terram et
20 obvias opes deferre deos, quaeque alia summa facundia nec minore
adulatione servilia fingebant, securi de facilitate credentis.

(3) Gliscebat interim luxuria spe inani consumebanturque veteres
opes quasi oblati quas multos per annos prodigeret. quin et inde iam
largiebatur; et divitiarum expectatio inter causas paupertatis publicae erat.
25 nam Bassus effosso agro suo latisque circum arvis, dum hunc vel illum
locum promissi specus adseverat, sequunturque non modo milites sed
populus agrestium efficiendo operi adsumptus, tandem posita vaecordia,
non falsa antea somnia sua seque tunc primum elusum admirans,
pudorem et metum morte voluntaria effugit. quidam vinctum ac mox
30 dimissum tradidere ademptis bonis in locum regiae gazae.

(4) Interea senatus propinquo iam lustrali certamine, ut dedecus
averteret, offert imperatori victoriam cantus adicitque facundiae coronam
qua ludicra deformitas velaretur. sed Nero nihil ambitu nec potestate
senatus opus esse dictitans, se aequum adversum aemulos et religione
35 iudicum meritam laudem adsecuturum, primo carmen in scaena recitat;
mox flagitante vulgo ut omnia studia sua publicaret (haec enim verba
dixere) ingreditur theatrum, cunctis citharae legibus obtemperans, ne
fessus resideret, ne sudorem nisi ea quam indutui gerebat veste detergeret,
ut nulla oris aut narium excrementa viserentur. postremo flexus genu et

40 coetum illum manu veneratus sententias iudicum operiebatur ficto
pavore. et plebs quidem urbis, histrionum quoque gestus iuvare solita,
personabat certis modis plausuque composito. crederes laetari, ac fortasse
laetabantur per incuriam publici flagitii.

45 (5) Sed qui remotis e municipiis severaque adhuc et antiqui moris
retinente Italia, quique per longinquas provincias lascivia inexperti officio
legationum aut privata utilitate advenerant, neque aspectum illum tolerare
neque labori inhonesto sufficere, cum manibus nesciis fatiscerent,
turbarent gnaros ac saepe a militibus verberarentur, qui per cuneos
50 stabant ne quod temporis momentum impari clamore aut silentio segni
praeteriret. constitit plerosque equitum, dum per angustias aditus et
ingruentem multitudinem enituntur, obtritos, et alios, dum diem
noctemque sedilibus continuant, morbo exitiabili correptos. quippe
gravior inerat metus, si spectaculo defuissent, multis palam et pluribus
55 occultis, ut nomina ac vultus, alacritatem tristitiamque coeutium
scrutarentur. unde tenuioribus statim inrogata supplicia, adversum
inlustris dissimulatum ad praesens et mox redditum odium. ferebantque
Vespasianum, tamquam somno coniveret, a Phoebo liberto increpitem
aegreque meliorum precibus obtectum, mox imminentem perniciem
maiore fato effugisse.

60 (6) Post finem ludicri Poppaea mortem obiit, fortuita mariti iracundia,
a quo gravida ictu calcis adflcta est. neque enim venenum crediderim,
quamvis quidam scriptores tradant, odio magis quam ex fide: quippe
liberorum cupiens et amori uxoris obnoxius erat. corpus non igni
abolitum, ut Romanus mos, sed regum externorum consuetudine
65 differtum odoribus conditur tumuloque Iuliorum infertur. ductae tamen
publicae exequiae laudavitque ipse apud rostra formam eius et quod
divinae infantis parens fuisset aliaque fortunae munera pro virtutibus.

(7) Mortem Poppaeae ut palam tristem, ita recordantibus laetam ob
impudicitiam eius saevitiamque, nova insuper invidia Nero complevit
70 prohibendo C. Cassium officio exequiarum, quod primum indicium mali.
neque in longum dilatatum est, sed Silanus additur, nullo crimine nisi quod
Cassius opibus vetustis et gravitate morum, Silanus claritudine generis et
modesta iuventa praecelebant. igitur missa ad senatum oratione
removendos a re publica utrosque disseruit, obiectavitque Cassio quod
75 inter imagines maiorum etiam C. Cassi effigiem coluisset, ita inscriptam
«duci partium»: quippe semina belli civilis et defectionem a domo
Caesarum quaesitam; ac <ne> memoria tantum infensi nominis ad
discordias uteretur, adsumpsisse L. Silanum, iuvenem genere nobilem,
animo praeruptum, quem novis rebus ostentaret.

80 (8) Ipsum dehinc Silanum increpuit isdem quibus patrum eius
Torquatum, tamquam disposeret iam imperii curas praeficeretque
rationibus et libellis et epistulis libertos, inania simul et falsa: nam
Silanus intentior metu et exitio patrum ad praecavendum exterritus erat.
inducti posthac vocabulo indicum qui in Lepidam, Cassii uxorem,
85 Silani amitam, incestum cum fratris filio et diros sacrorum ritus
confingerent. trahebantur ut conscii Vulcaci Tullinus ac Marcellus
Cornelius senatores et Calpurnius Fabatus eques Romanus; qui
appellato principe instantem damnationem frustrati, mox Neronem
circa summa scelera distentum quasi minores evasere.

90 (9) Tunc consulto senatus Cassio et Silano exilia decernuntur: de
Lepida Caesar statueret. deportatusque in insulam Sardiniam Cassius,
et senectus eius expectabatur. Silanus tamquam Naxum deveheretur
Ostiam amotus, post municipio Apuliae, cui nomen Barium est,
clauditur. illic indignissimum casum sapienter tolerans a centurione ad
95 caedem misso corripitur; suadentique venas abrumpere animum
quidem morti destinatum ait, sed non remittere percussori gloriam
ministerii. at centurio quamvis inermem, praevalidum tamen et irae
quam timori propiorem cernens premi a militibus iubet. nec omisit
Silanus obniti et intendere ictus, quantum manibus nudis valebat,
100 donec a centurione vulneribus adversis tamquam in pugna caderet.

(10) Haud minus prompte L. Vetus socrusque eius Sextia et Pollitta
filia necem subiere, invisi principi tamquam vivendo exprobrarent
interfectum esse Rubellium Plautum, generum Luci Veteris. sed
initium detegendae saevitiae praebuit interversis patroni rebus ad
105 accusandum transgrediens Fortunatus libertus, adscito Claudio
Demiano, quem ob flagitia vinctum a Vetere Asiae pro consule exolvit
Nero in praemium accusationis. quod ubi cognitum reo seque et
libertum pari sorte componi, Formianos in agros digreditur: illic eum
milites occulta custodia circumdant. aderat filia, super ingruens
110 periculum longo dolore atrox, ex quo percussores Plauti mariti sui
viderat; cruentamque cervicem eius amplexa servabat sanguinem et
vestis respersas, vidua inpeza luctu continuo nec ullis alimentis nisi
quae mortem arcerent. tum hortante patre Neapolim pergit; et quia
aditu Neronis prohibebatur, egressus obsidens, audiret insontem neve
115 consulatus sui quondam collegam dederet liberto, modo muliebri
eiulatu, aliquando sexum egressa voce infensa clamitabat, donec
princeps immobilem se precibus et invidiae iuxta ostendit.

(11) Ergo nuntiat patri abicere spem et uti necessitate: simul adfertur
parari cognitionem senatus et trucem sententiam. nec defuere qui

120 monerent magna ex parte heredem Caesarem nuncupare atque ita
nepotibus de reliquo consulere. quod aspernatus, ne vitam proxime
libertatem actam novissimo servitio foedaret, largitur in servos quantum
aderat pecuniae; et si qua asportari possent, sibi quemque deducere, tres
125 modo lectulos ad suprema retineri iubet. tunc eodem in cubiculo, eodem
ferro abscindunt venas, properique et singulis vestibus ad verecundiam
velati balineis inferuntur, pater filiam, avia neptem, illa utrosque intuens,
et certatim precantes labenti animae celerem exitum, ut relinquerent suos
superstites et morituros. servavitque ordinem fortuna, ac seniores prius,
130 tum cui prima aetas extinguuntur. accusati post sepulturam decretumque
ut more maiorum punirentur, et Nero intercessit, mortem sine arbitro
permittens: ea caedibus peractis ludibria adiciebantur.

(12) Publius Gallus eques Romanus, quod Faenio Rufo intimus et
Veteri non alienus fuerat, aqua atque igni prohibitus est. liberto et
accusatori praemium operae locus in theatro inter viatores tribunicios
135 datur. et menses, qui Aprilem eundemque Neroneum sequebantur, Maius
Claudii, Iunius Germanici vocabulis mutantur, testificante Cornelio
Orfito, qui id censuerat, ideo Iunium mensem transmissum, quia duo iam
Torquati ob scelera interfecti infaustum nomen Iunium fecissent.

(13) Tot facinoribus foedum annum etiam dii tempestatibus et morbis
140 insignivere. vastata Campania turbine ventorum, qui villas arbusta fruges
passim disiecit pertulitque violentiam ad vicina urbi; in qua omne
mortalium genus vis pestilentiae depopulabatur, nulla caeli intemperie
quae occurreret oculis. sed domus corporibus exanimis, itinera funeribus
complebantur; non sexus, non aetas periculo vacua; servitia perinde et
145 ingenua plebes raptim extinguunt, inter coniugum et liberorum lamenta, qui
dum adsident, dum deflent, saepe eodem rogo cremabantur. equitum
senatorumque interitus quamvis promisci minus flebiles erant, tamquam
communi mortalitate saevitiam principis praevenirent.

Eodem anno dilectus per Galliam Narbonensem Africamque et
150 Asiam habiti sunt supplendis Illyrici legionibus, ex quibus aetate aut
valetudine fessi sacramento solvebantur. cladem Lugdunensem
quadragies sestertio solatus est princeps, ut amissa urbi reponerent;
quam pecuniam Lugdunenses ante obtulerant urbis casibus.

(14) C. Suetonio Luccio Telesino consulibus Antistius Sosianus,
155 factitatis in Neronem carminibus probrosis exilio, ut dixi, multatus,
postquam id honoris indicibus tamque promptum ad caedes principem
accepit, inquires animo et occasionum haud segnis Pammenem,
eiusdem loci exulem et Chaldaeorum arte famosum eoque multorum
amicitiis innexum, similitudine fortunae sibi conciliat, ventitare ad eum

160 nuntios et consultationes non frustra ratus; simul annuam pecuniam a
P. Anteio ministrari cognoscit. neque nescium habebat Anteium
caritate Agrippinae invisum Neroni opesque eius praecipuas ad
eliciendam cupidinem eamque causam multis exitio esse. igitur
165 interceptis Anteii litteris, furatus etiam libellos, quibus dies genitalis
eius et eventura secretis Pammenis occultabantur, simul repertis quae
de ortu vitaeque Ostorii Scapulae composita erant, scribit ad principem
magna se et quae incolumitati eius conducerent adlaturum, si brevem
exilii veniam impetravisset: quippe Anteium et Ostorium imminere
170 rebus et sua Caesarisque fata scrutari. exim missae liburnicae
advehiturque propere Sosianus. ac vulgato eius indicio inter damnatos
magis quam inter reos Anteius Ostoriusque habebantur, adeo ut
testamentum Anteii nemo obsignaret, nisi Tigellinus auctor exitisset
monito prius Anteio ne supremas tabulas moraretur. atque ille hausto
veneno, tarditatem eius perosus intercisus venis mortem adproperavit.

175 (15) Ostorius longinquis in agris apud finem Ligurum id temporis
erat: eo missus centurio qui caedem eius maturaret. causa festinandi ex eo
oriebatur quod Ostorius multa militari fama et civicam coronam apud
Britanniam meritis, ingenti corpore armorumque scientia metum Neroni
fecerat ne invaderet pavidum semper et reperta nuper coniuratione magis
180 exterritum. igitur centurio, ubi effugia villae clausit, iussa imperatoris
Ostorio aperit. is fortitudinem saepe adversum hostis spectatam in se
vertit; et quia venae quamquam interruptae parum sanguinis effundebant,
hactenus manu servi usus ut immotum pugionem extolleret, adpressit
dextram eius iuguloque occurrit.

185 (16) Etiam si bella externa et obitas pro re publica mortis tanta
casuum similitudine memorarem, meque ipsum satias cepisset
aliorumque taedium expectarem, quamvis honestos civium exitus,
tristis tamen et continuos aspernantium: at nunc patientia servilis
tantumque sanguinis domi perditum fatigant animum et maestitia
190 restringunt. neque aliam defensionem ab iis quibus ista noscentur
exegerim, quam ne oderim tam segniter pereuntis. ira illa numinum in
res Romanas fuit, quam non, ut in cladibus exercituum aut captivitate
urbium, semel edito transire licet. detur hoc inlustrium virorum
posteritati, ut quo modo exequiis a promisca sepultura separantur, ita in
195 traditione supremorum accipiant habeantque propriam memoriam.

(17) Paucos quippe intra dies eodem agmine Annaeus Mela, Cerialis
Anicius, Rufrius Crispinus, C. Petronius cecidere, Mela et Crispinus
equites Romani dignitate senatoria. nam hic quondam praefectus praetorii
et consularibus insignibus donatus ac nuper crimine coniurationis in

200 Sardiniam exactus accepto iussae mortis nuntio semet interfecit. Mela,
quibus Gallio et Seneca parentibus natus, petitione honorum abstinerat
per ambitionem praeposteram ut eques Romanus consularibus potentia
aequaretur; simul acquirendae pecuniae brevius iter credebat per
205 procuraciones administrandis principis negotiis. idem Annaeum Lucanum
generat, grande adiumentum claritudinis. quo interfecto dum rem
familiarum eius acriter requirit, accusatorem concivit Fabium Romanum,
ex intimis Lucani amicis. mixta inter patrem filiumque coniurationis
scientia fingitur, adsimilatis Lucani litteris: quas inspectas Nero ferri ad
eum iussit, opibus eius inhians. at Mela, quae tum promptissima mortis
210 via, exolvit venas, scriptis codicillis quibus grandem pecuniam in
Tigellinum generumque eius Cossutianum Capitonem erogabat quo
cetera manerent. additur codicillis, tamquam de iniquitate exitii querens
ita scripsisset, se quidem mori nullis supplicii causis, Rufrium autem
Crispinum et Anicium Cerialem vita frui infensos principi. quae
215 composita credebantur de Crispino, quia interfectus erat, de Ceriali, ut
interficeretur. neque enim multo post vim sibi attulit, minore quam ceteri
miseratione, quia proditam G. Caesari coniurationem ab eo meminerant.

(18) De C. Petronio pauca supra repetenda sunt. nam illi dies per
somnum, nox officiis et oblectamentis vitae transigebatur; utque alios
220 industria, ita hunc ignavia ad famam protulerat, habebaturque non ganeo
et profligator, ut plerique sua haurientium, sed erudito luxu. ac dicta
factaque eius quanto solutiora et quandam sui negligentiam praeferebant,
tanto gratius in speciem simplicitatis accipiebantur. proconsul tamen
Bithyniae et mox consul vigentem se ac parem negotiis ostendit. dein
225 revolutus ad vitia seu vitiorum imitatione inter paucos familiarium Neroni
adsumptus est, elegantiae arbiter, dum nihil amoenum et molle adfluentia
putat, nisi quod ei Petronius adprobavisset. unde invidia Tigellini quasi
adversus aemulum et scientia voluptatum potiore. ergo crudelitatem
principis, cui ceterae libidines cedebant, adgreditur, amicitiam Scaevini
230 Petronio obiectans, corrupto ad indicium servo ademptaque defensione et
maiore parte familiae in vincla raptam.

(19) Forte illis diebus Campaniam petiverat Caesar, et Cumas
usque progressus Petronius illic attinebatur; nec tulit ultra timoris aut
spei moras. neque tamen praiceps vitam expulit, sed incisas venas, ut
235 libitum, obligatas aperire rursus et adloqui amicos, non per seria aut
quibus gloriam constantiae peteret. audiebatque referentis nihil de
immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et facilis
versus. servorum alios largitione, quosdam verberibus adfecit. iniiit
epulas, somno indulsit, ut quamquam coacta mors fortuitae similis

240 esset. ne codicillis quidem, quod plerique pereuntium, Neronem aut Tigellinum aut quem alium potentium adulatus est, sed flagitia principis sub nominibus exoletorum feminarumque et novitatem cuiusque stupri perscripsit atque obsignata misit Neroni. fregitque anulum ne mox usui esset ad facienda pericula.

245 (20) Ambigenti Neroni quonam modo noctium suarum ingenia notescerent, offertur Silia, matrimonio senatoris haud ignota et ipsi ad omnem libidinem adscita ac Petronio perquam familiaris. agitur in exilium tamquam non siluisset quae viderat pertuleratque, proprio odio. at Minucium Thermum praetura functum Tigellini simultatibus dedit, quia libertus Thermi quaedam de Tigellino criminosae detulerat, quae cruciatibus tormentorum ipse, patronus eius nece immerita luere.

250 (21) Trucidatis tot insignibus viris ad postremum Nero virtutem ipsam excindere concupivit interfecto Thræsea Paeto et Barea Sorano, olim utrisque infensus et accedentibus causis in Thræseam, quod senatu egressus est cum de Agrippina referretur, ut memoravi, quodque Iuvenalium ludicro parum spectabilem operam praebuerat; eaque offensio altius penetrabat, quia idem Thræsea Patavi, unde ortus erat, ludis †cetastis† a Troiano Antenore institutis habitu tragico cecinerat. die quoque quo praetor Antistius ob probra in Neronem composita ad mortem damnabatur, mitiora censuit obtinuitque; et cum deum honores Poppaeae decernuntur sponte absens, funeri non interfuerat. quae obliterari non sinebat Capito Cossutianus, praeter animum ad flagitia praecipitem iniquus Thræseae quod auctoritate eius concidisset, iuvantis Cilicum legatos dum Capitonem repetundarum interrogat.

265 (22) Quin et illa obiectabat, principio anni vitare Thræseam sollemne ius iurandum; nuncupationibus votorum non adesse, quamvis quindecimvirali sacerdotio praeditum; numquam pro salute principis aut caelesti voce immolavisse; adsiduum olim et indefessum, qui vulgaribus quoque patrum consultis semet fautorem aut adversarium ostenderet, triennio non introisse curiam; nuperrimeque, cum ad coercendos Silanum et Veterem certatim concurreretur, privatis potius clientium negotiis vacavisse. secessionem iam id et partis et, si idem multi audeant, bellum esse. «ut quondam C. Caesarem, – inquit, – et M. Catonem, ita nunc te, Nero, et Thræseam avida discordiarum civitas loquitur. et habet sectatores vel potius satellites, qui nondum contumaciam sententiarum, sed habitum vultumque eius sectantur, rigidi et tristes, quo tibi lasciviam exprobrent. huic uni incolumitas tua sine <cura>, artes sine honore. prospera principis respuit: etiamne luctibus et doloribus non satiatur? eiusdem animi est Poppaeam divam non credere, cuius in acta divi Augusti et divi Iuli non

280 iurare. spernit religiones, abrogat leges. diurna populi Romani per
provincias, per exercitus curatius leguntur, ut noscatur quid Thræsea non
fecerit. aut transeamus ad illa instituta, si potiora sunt, aut nova
cupientibus auferatur dux et auctor. ista secta Tuberones et Favonios,
285 veteri quoque rei publicæ ingrata nomina, genuit. ut imperium evertant
libertatem præferunt: si perverterint, libertatem ipsam adgredientur.
frustra Cassium amovisti, si gliscere et vigere Brutorum æmulos
passurus es. denique nihil ipse de Thræsea scripseris: disceptatorem
senatum nobis relinque». extollit ira promptum Cossutiani animum Nero
adicitque Marcellum Eprium acri eloquentia.

290 (23) At Baream Soranum iam sibi Ostorius Sabinus eques Romanus
poposcerat reum ex proconsulatu Asiæ, in quo offensiones principis
auxit iustitia atque industria, et quia portui Ephesiorum aperiendo
curam insumpserat vimque civitatis Pergamænæ prohibentis Acratum,
Caesaris libertum, statuas et picturas evehere inultam omiserat. sed
295 crimini dabatur amicitia Plauti et ambitio conciliandæ provinciæ ad
spes novas. tempus damnationi delectum, quo Tiridates accipiendo
Armeniæ regno adventabat, ut ad externa rumoribus intestinum scelus
obscuraretur, an ut magnitudinem imperatoriam caede insignium
virorum quasi regio facinore ostentaret.

300 (24) Igitur omni civitate ad excipiendum principem spectandumque
regem effusa, Thræsea occursum prohibitus non demisit animum, sed
codicillos ad Neronem composuit, requirens obiecta et expurgaturum
adseverans, si notitiam criminum et copiam diluendi habuisset. eos
codicillos Nero prophanter accepit, spe exterritum Thræseam
305 scripsisse, per quæ claritudinem principis extolleret suamque famam
dehonestaret. quod ubi non evenit vultumque et spiritus et libertatem
insontis ultro extimuit, vocari patres iubet.

(25) Tum Thræsea inter proximos consultavit, temptaretne
defensionem an sperneret. diversa consilia adferebantur. quibus intrari
310 curiam placebat, securos esse de constantia eius disserunt; nihil dicturum
nisi quo gloriam auget. segnis et pavidus supremis suis secretum
circumdare: aspiceret populus virum morti obvium, audiret senatus voces
quasi ex aliquo numine supra humanas: posse ipso miraculo etiam
Neronem permoveri: sin crudelitati insisteret, distinguere certe apud
315 posteros memoriam honesti exitus ab ignavia per silentium pereuntium.

(26) Contra qui opperendum domi censebant, de ipso Thræsea eadem,
sed ludibria et contumelias imminere: subtraheret auris conviciis et probris.
non solum Cossutianum aut Eprium ad scelus promptos: superesse qui
forsitan manus ictusque per immanitatem ausuri sint; etiam bonos metu

320 sequi. detraheret potius senatui quem perornavisset infamiam tanti flagitii
et relinqueret incertum quid viso Thræsea reo decreturi patres fuerint. ut
Neronem flagitiorum pudor caperet inrita spe agitari; multoque magis
timendum ne in coniugem, in filiam, in cetera pignora eius saeviret.
325 proinde intemeratus, impollutus, quorum vestigiis et studiis vitam duxerit,
eorum gloria peteret finem. aderat consilio Rusticus Arulenus, flagrans
iuvenis, et cupidine laudis offerebat se intercessurum senatus consulto:
nam plebei tribunus erat. cohibuit spiritus eius Thræsea ne vana et reo non
profutura, intercessori exitiosa inciperet. sibi actam aetatem, et tot per
330 annos continuum vitae ordinem non deserendum: illi initium magistratum
et integra quae supersint. multum ante secum expenderet quod tali in
tempore capessendae rei publicae iter ingrederetur. ceterum ipse an venire
in senatum deceret meditationi suae reliquit.

(27) At postera luce duae praetoriae cohortes armatae templum
Genetricis Veneris insedere; aditum senatus globus togatorum
335 obsederat non occultis gladiis, dispersique per fora ac basilicas cunei
militares. inter quorum aspectus et minas ingressi curiam senatores, et
oratio principis per quaestorem eius audita est: nemine nominatim
compellato patres arguebat quod publica munia desererent eorumque
exemplo equites Romani ad segnitiam verterentur: etenim quid mirum
340 e longinquis provinciis haud veniri, cum plerique adepti consulatum et
sacerdotia hortorum potius amoenitati inservirent. quod velut telum
corripuere accusatores.

(28) Et initium faciente Cossutiano, maiore vi Marcellus summam
rem publicam agi clamitabat; contumacia inferiorum lenitatem
345 imperitantis deminui. nimium mitis ad eam diem patres, qui Thræseam
desciscentem, qui generum eius Helvidium Priscum in isdem furoribus,
simul Paconium Agrippinum, paterni in principes odii heredem, et
Curtium Montanum detestanda carmina factitantem eludere impune
sinerent. requirere se in senatu consularem, in votis sacerdotem, in iure
350 iurando civem, nisi contra instituta et caerimonias maiorum proditorem
palam et hostem Thræsea induisset. denique agere senatorem et principis
obtrectatores protegere solitus veniret, censeret quid corrigi aut mutari
vellet: facilius perluros singula increpantem quam nunc silentium
355 perferrent omnia damnantis. pacem illi per orbem terrae, an victorias sine
damno exercituum displicere? ne hominem bonis publicis maestum, et
qui fora theatra templa pro solitudine haberet, qui minitaretur exilium
suum, ambitionis pravae compotem facerent. non illi consulta haec, non
magistratus aut Romanam urbem videri. abrumperet vitam ab ea civitate
cuius caritatem olim, nunc et aspectum exuisset.

360 (29) Cum per haec atque talia Marcellus, ut erat torvus ac minax,
voce vultu oculis ardesceret, non illa nota et celebritate periculorum
sueta iam senatus maestitia, sed novus et altior pavor manus et tela
militum cernentibus. simul ipsius Thraseae venerabilis species
obversabatur; et erant qui Helvidium quoque miserarentur, innoxiae
365 adfinitatis poenas daturum. quid Agrippino obiectum nisi tristem patris
fortunam, quando et ille perinde innocens Tiberii saevitia concidisset.
enimvero Montanum probae iuventae neque famosi carminis, quia
protulerit ingenium, extorrem agi.

370 (30) Atque interim Ostorius Sabinus, Sorani accusator, ingreditur
orditurque de amicitia Rubelli Plauti, quodque proconsulatum Asiae
Soranus pro claritate sibi potius accommodatum quam ex utilitate
communi egisset, alendo seditiones civitatum. vetera haec: sed recens
et quo discrimini patris filiam conectebat, quod pecuniam magis
dilatigata esset. acciderat sane pietate Serviliae (id enim nomen puellae
375 fuit), quae caritate erga parentem, simul imprudentia aetatis, non tamen
aliud consultaverat quam de incolumitate domus, et an placabilis Nero,
an cognitio senatus nihil atrox adferret. igitur accita est in senatum,
steteruntque diversi ante tribunal consulum grandis aevo parens, contra
filia intra vicesimum aetatis annum, nuper marito Annio Pollione in
380 exilium pulso viduata desolataque, ac ne patrem quidem intuens cuius
onerasse pericula videbatur.

(31) Tum interrogante accusatore an cultus dotalis, an detractum
cervici monile venum dedisset, quo pecuniam faciendis magicis sacris
contraheret, primum strata humi longoque fletu et silentio, post altaria
385 et aram complexa «nullos, – inquit, – impios deos, nullas devotiones,
nec aliud infelicibus precibus invocavi quam ut hunc optimum patrem
tu, Caesar, vos, patres, servaretis incolumem. sic gemmas et vestis et
dignitatis insignia dedi, quo modo si sanguinem et vitam poposcissent.
viderint isti, antehac mihi ignoti, quo nomine sint, quas artes exerceant:
390 nulla mihi principis mentio nisi inter numina fuit. nescit tamen
miserrimus pater et, si crimen est, sola deliqui».

(32) Loquentis adhuc verba excipit Soranus proclamatque non
illam in provinciam secum profectam, non Plauto per aetatem nosci
potuisse, non criminibus mariti conexam: nimiae tantum pietatis ream
395 separarent, atque ipse quamcumque sortem subiret. simul in amplexu
occurrentis filiae ruebat, nisi interiecti lictores utrisque obstitissent.
mox datus testibus locus; et quantum misericordiae saevitia
accusationis permoverat, tantum irae P. Egnatius testis concivit. cliens
hic Sorani et tunc emptus ad opprimendum amicum auctoritatem

400 Stoicae sectae praeferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem
honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, subdolos, avaritiam ac
libidinem occultans; quae postquam pecunia reclusa sunt, dedit
exemplum praecavendi, quo modo fraudibus involutos aut flagitiis
commaculatos, sic specie bonarum artium falsos et amicitiae fallacis.

405 (33) Idem tamen dies et honestum exemplum tulit Cassii
Asclepiodoti, qui magnitudine opum praecipuus inter Bithynos, quo
obsequio florentem Soranum celebraverat, labantem non deseruit,
exutusque omnibus fortunis et in exilium actus, aequitate deum erga
410 bona malaque documenta. Thraseae Soranoque et Serviliae datur
mortis arbitrium; Helvidius et Paconius Italia depelluntur; Montanus
patri concessus est, praedicto ne in re publica haberetur. accusatoribus
Eprio et Cossutiano quinquagies sestertium singulis, Ostorio duodecies
et quaestoria insignia tribuuntur.

415 (34) Tum ad Thraseam in hortis agentem quaestor consulis missus
vesperascente iam die. inlustrium virorum feminarumque coetus
frequentis egerat, maxime intentus Demetrio Cynicae institutionis
doctori, cum quo, ut coniectare erat intentione vultus et auditis, si qua
clarius proloquebantur, de natura animae et dissociatione spiritus
corporisque inquirebat, donec advenit Domitius Caecilianus ex intimis
420 amicis et ei quid senatus censuisset exposuit. igitur flentis
queritantisque qui aderant facessere propere Thrasea neu pericula sua
miscere cum sorte damnati hortatur, Arriamque temptantem mariti
suprema et exemplum Arriae matris sequi monet retinere vitam
filiaeque communi subsidium unicum non adimere.

425 (35) Tum progressus in porticum illic a quaestore reperitur, laetitiae
propior, quia Helvidium generum suum Italia tantum arceri
cognoverat. accepto dehinc senatus consulto Helvidium et Demetrium
in cubiculum inducit; porrectisque utriusque brachii venis, postquam
cruorem effudit, humum super spargens, propius vocato quaestore
430 «libamus, – inquit, – Iovi liberatori. specta, iuvenis; et omen quidem
dii prohibeant, ceterum in ea tempora natus es quibus firmare animum
expediat constantibus exemplis». post lentitudine exitus gravis
cruciatus adherente, obversis in Demetrium [...]

DECIMUS IUNIUS IUVENALIS

Децим Юний Ювенал (между 50 и 60 гг. – после 127 г. н. э.) – известный поэт-сатирик. Родился в городке Аквин близ Рима. Сведения о его жизни весьма разноречивы, несмотря на большое количество дошедших до нас жизнеописаний поэта. Достоверно лишь то, что он был первым римским диссидентом, который за свои стихи, обличающие власть имущих, бичующие существующие порядки и нравы, был отправлен в ссылку. До нас дошло пять книг его сатир, написанных гекзаметром. Сатиры первых трех книг имеют резко обличительный характер. Герои Ювенала – это не только аморальные развратники и лицемеры, но и доносчики, взяточники на самом высоком уровне. Выступая против двора императора Домициана, поэт не видит надежды на возрождение – ни в сенате, ни в народе. Сатиры последних двух книг представляют собой рассуждения на темы морали и, как правило, адресованы друзьям. Они более сдержанны, о чем говорит их тематика: истинное счастье, нравственная твердость мудреца, воспитание и т. д.

Язык сатир Ювенала изобилует гиперболами, риторическими фигурами, яркими метафорами. Его лексика богата жаргонизмами и часто носит непристойный характер.

Истинный сатирик, в современном понимании этого термина, Ювенал не мог не повлиять на творчество западноевропейских и русских поэтов и писателей. Им восхищались Дж. Байрон, Дж. Свифт и Дж. Элиот. Ювенал был любимым поэтом П. Рубенса. На портике его дома в Антверпене высечены строки из 10-й сатиры Ювенала: «*Mens sana in corpore sano*» – «Надо молить, чтобы ум был здоровым в теле здоровом». Ему принадлежат и такие крылатые выражения, как «*Panem i circenses*» – «Хлеба и зрелищ», «*Sic volo, sic jubeo, sit pro ratione voluntas*» – «Так я хочу, так я велю, пусть доводом будет моя воля». Сатирику подражал А. Д. Кантемир, его творчеством восхищались В. А. Жуковский, А. С. Пушкин, благодаря которому в русский язык вошел фразеологизм «ювеналов бич»:

О муза пламенной сатиры!
Приди на мой призывный клич!
Не нужно мне гремящей лиры,
Вручи мне Ювеналов бич.

SATURAE

LIBER PRIMUS

SATURA III*

1 Quamvis digressu veteris confusus amici
laudo tamen, vacuis quod sedem figere Cumis
destinet atque unum civem donare Sibyllae.
ianua Baiarum est et gratum litus amoeni
5 secessus, ego vel Prochytam praepono Suburae;
nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non
deterius credas horrere incendia, lapsus
tectorum adsiduos ac mille pericula saevae
urbis et Augusto recitantes mense poetas?
10 sed dum tota domus raeda componitur una,
substitit ad veteres arcus madidamque Capenam,
hic, ubi nocturnae Numa constituebat amicae,
nunc sacri fontis nemus et delubra locantur
Iudaeis, quorum cophinus faenumque supellex
15 (omnis enim populo mercedem pendere iussa est
arbor et eiectis mendicat silva Camenis).
in vallem Egeriae descendimus et speluncas
dissimiles veris, quanto praesentius esset
numen aquis, viridi si margine clauderet undas
20 herba, nec ingentium violarent marmora tofum.
hic tunc Umbricius «quando artibus, – inquit, – honestis
nullus in urbe locus, nulla emolumenta laborum,
res hodie minor est here quam fuit atque eadem cras
deteret exiguis aliquid, proponimus illuc
25 ire, fatigatas ubi Daedalus exiit alas,
dum nova canities, dum prima et recta senectus,
dum superest Lachesi quod torqueat et pedibus me
porto meis nullo dextram subeunte bacillo.
cedamus patria, vivant Artorius istic
30 et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt,
quis facile est aedem conducere flumina portus,
siccandam eluviem, portandum ad busta cadaver,
et praebere caput domina venale sub hasta,
quondam hi cornicines et municipalis harenae

* Сатира III приводится по изданию: Juvenal and Persius: Satires / ed. G. G. Ramsay. Harvard, 1918.

35 perpetui comites notaeque per oppida buccae
 munera nunc edunt et, verso pollice vulgus
 cum iubet, occidunt populariter; inde reversi
 conducunt foricas, et cur non omnia, cum sint
 40 quales ex humili magna ad fastigia rerum
 extollit quotiens voluit Fortuna iocari?
 Quid Romae faciam? mentiri nescio: librum,
 si malus est, nequeo laudare et poscere; motus
 astrorum ignoro; funus promittere patris
 nec volo nec possum; ranarum viscera numquam
 45 inspexi; ferre ad nuptam quae mittit adulter,
 quae mandat, norunt alii; me nemo ministro
 fur erit, atque ideo nulli comes exeo tamquam
 mancus et extinctae corpus non utile dextrae,
 quis nunc diligitur nisi conscius et cui fervens
 50 aestuat occultis animus semperque tacendis?
 nil tibi se debere putat, nil conferet umquam,
 participem qui te secreti fecit honesti:
 carus erit Verri qui Verrem tempore quo vult
 accusare potest, tanti tibi non sit opaci
 55 omnis harena Tagi quodque in mare volvitur aurum,
 ut somno careas ponendaque praemia sumas
 tristis, et a magno semper timearis amico.
 Quae nunc divitibus gens acceptissima nostris
 et quos praecipue fugiam, properabo fateri,
 60 nec pudor opstabit. non possum ferre Quirites,
 Graecam urbem; quamvis quota portio faecis Achaei?
 iam pridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes,
 et linguam et mores et cum tibicine chordas
 obliquas nec non gentilia tympana secum
 65 vexit et ad circum iussas prostare puellas.
 ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra!
 rusticus ille tuus sumit trechedipna Quirine,
 et ceromatico fert niceteria collo,
 hic alta Sicyone, ast hic Amydone relictas,
 70 hic Andro, ille Samo, hic Trallibus aut Alabandis
 Esquilias dictumque petunt a vimine collem,
 viscera magnarum domuum dominique futuri,
 ingenium velox, audacia perdita, sermo
 promptus et Isaeo torrentior: ede quid illum

75 esse putes? quemvis hominem secum attulit ad nos:
 grammaticus rhetor geometres pictor aliptes
 augur schoenobates medicus magus: omnia novit
 Graeculus esuriens; in caelum iusseris ibit.
 in summa non Maurus erat neque Sarmata nec Thrax
 80 qui sumpsit pinnas, mediis sed natus Athenis.
 Horum ego non fugiam conchylia? me prior ille
 signabit fultusque toro meliore recumbet,
 advectus Romam quo pruna et cottona vento?
 usque adeo nihil est, quod nostra infantia caelum
 85 hausit Aventini baca nutrita Sabina?
 Quid quod adulandi gens prudentissima laudat
 sermonem indocti, faciem deformis amici,
 et longum invalidi collum cervicibus aequat
 Herculis Antaeum procul a tellure tenentis,
 90 miratur vocem angustam, qua deterius nec
 ille sonat quo mordetur gallina marito?
 haec eadem licet et nobis laudare, sed illis
 creditur, an melior, cum Thaida sustinet aut cum
 uxorem comoedus agit vel Dorida nullo
 95 cultam palliolo? mulier nempe ipsa videtur,
 non persona, loqui; vacua et plana omnia dicas
 infra ventriculum et tenui distantia rima.
 nec tamen Antiochus nec erit mirabilis illic
 aut Stratocles aut cum molli Demetrius Haemo:
 100 natio comoeda est. rides, maiore caehinno
 concutitur; flet, si lacrimas conspexit amici,
 nec dolet; igniculum brumae si tempore poscas,
 accipit endromidem; si dixeris „aestuo“, sudat.
 non sumus ergo pares: melior, qui semper et omni
 105 nocte dieque potest aliena sumere vultum
 a facie, iactare manus, laudare paratus,
 si bene ructavit, si rectum minxit amicus,
 si trulla inverso crepitum dedit aurea fundo.
 Praeterea sanctum nihil est neque ab inguine tutum,
 110 non matrona Laris, non filia virgo, neque ipse
 sponsus levis adhuc, non filius ante pudicus;
 horum si nihil est, aviam resupinat amici,
 scire volunt secreta domus atque inde timeri.
 et quoniam coepit Graecorum mentio, transi

115 gymnasia atque audi facinus maioris abollae.
 Stoicus occidit Baream delator amicum
 discipulumque senex, ripa nutritus in illa,
 ad quam Gorgonei delapsa est pinna caballi.
 non est Romano cuiquam locus hic, ubi regnat
 120 Protogenes aliquis vel Diphilus aut Hermarchus,
 qui gentis vitio numquam partitur amicum,
 solus habet, nam cum facilem stillavit in aurem
 exiguum de naturae patriaeque veneno,
 limine summoveor, perierunt tempora longi
 125 servitii; nusquam minor est iactura clientis.
 Quod porro officium, ne nobis blandiar, aut quod
 pauperis hic meritum, si curet nocte togatus
 currere, cum praetor lictorem impellat et ire
 praecipitem iubeat dudum vigilantibus orbis,
 130 ne prior Albinam et Modiam collega salutet?
 divitis hic servo claudit latus ingenuorum
 filius; alter enim quantum in legione tribuni
 accipiunt donat Calviniae vel Catienae,
 ut semel aut iterum super illam palpitet; at tu,
 135 cum tibi vestiti facies scorti placet, haeres
 et dubitas alta Chionen deducere sella,
 da testem Romae tam sanctum quam fuit hospes
 numinis Idaeï, procedat vel Numa vel qui
 servavit trepidam flagranti ex aede Minervam:
 140 protinus ad censum, de moribus ultima fiet
 quaestio. „quot pascit servos? quot possidet agri
 iugera? quam multa magnaue paropside cenat?“
 quantum quisque sua nummorum servat in arca,
 tantum habet et fidei, iures licet et Samothracum
 145 et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
 creditur atque deos dis ignoscentibus ipsis.
 Quid quod materiam praebet causasque iocorum
 omnibus hic idem, si foeda et scissa lacerna,
 si toga sordidula est et rupta calceus alter
 150 pelle patet, vel si consuto vulnere crassum
 atque recens linum ostendit non una cicatrix?
 nil habet infelix paupertas durius in se,
 quam quod ridiculos homines facit. „exeat, – inquit, –
 si pudor est, et de pulvino surgat equestri

155 cuius res legi non sufficit, et sedeant hic
 lenonum pueri quocumque ex fornice nati;
 hic plaudat nitidi praeconis filius inter
 pinnirapi cultos iuvenes iuvenesque lanistae“:
 sic libitum vano, qui nos distinxit Othoni.
 160 quis gener hic placuit censu minor atque puellae
 sarcinulis impar? quis pauper scribitur heres?
 quando in consilio est aedilibus? agmine facto
 debuerant olim tenues migrasse Quirites.
 Haut facile emergunt quorum virtutibus opstat
 165 res angusta domi, sed Romae durior illis
 conatus: magno hospitium miserabile, magno
 servorum ventres, et frugi cenula magno,
 fictilibus cenare pudet, quod turpe negabis
 translatus subito ad Marsos mensamque Sabellam
 170 contentusque illic Veneto duroque cucullo.
 Pars magna Italiae est, si verum admittimus, in qua
 nemo togam sumit nisi mortuus, ipsa dierum
 festorum herboso colitur si quando theatro
 maiestas tandemque redit ad pulpita notum
 175 exodium, cum personae pallentis hiatum
 in gremio matris formidat rusticus infans,
 aequales habitus illic similesque videbis
 orchestram et populum, clari velamen honoris
 sufficiunt tunicae summis aedilibus albae,
 180 hic ultra vires habitus nitor, hic aliquid plus
 quam satis est interdum aliena sumitur arca.
 commune id vitium est, hic vivimus ambitiosa
 paupertate omnes, quid te moror? omnia Romae
 cum pretio, quid das, ut Cossum aliquando salutes,
 185 ut te respiciat clauso Veiento labello?
 ille metit barbam, crinem hic deponit amati;
 plena domus libis venalibus; accipe, et istud
 fermentum tibi habe: praestare tributa clientes
 cogimur et cultis augere peculia servis.
 190 Quis timet aut timuit gelida Praeneste ruinam
 aut positis nemorosa inter iuga Volsiniis aut
 simplicibus Gabiis aut proni Tiburis arce?
 nos urbem colimus tenui tibicine fultam
 magna parte sui; nam sic labentibus obstat

195 vilicus et, veteris rimae cum textit hiatum,
securos pendente iubet dormire ruina,
vivendum est illic ubi nulla incendia, nulli
nocte metus, iam poscit aquam, iam frivola transfert
Ucalegon, tabulata tibi iam tertia fumant:
200 tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis,
ultimus ardebit quem tegula sola tuetur
a pluvia, molles ubi reddunt ova columbae,
lectus erat Codro Procula minor, urceoli sex
ornamentum abaci nec non et parvulus infra
205 cantharus et recubans sub eodem marmore Chiron,
iamque vetus graecos servabat cista libellos
et divina opici rodebant carmina mures,
nil habuit Codrus, quis enim negat? et tamen illud
perdidit infelix totum nihil, ultimus autem
210 aerumnae est cumulus, quod nudum et frustra rogantem
nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit.

Si magna Asturici cecidit domus, horrida mater,
pullati proceres, differt vadimonia praetor,
tum gemimus casus urbis, tunc odimus ignem,
215 ardet adhuc, et iam accurrit qui marmora donet,
conferat inpensas; hic nuda et candida signa,
hic aliquid praeclarum Euphranoris et Polycliti,
hic Asianorum vetera ornamenta deorum,
hic libros dabit et forulos mediamque Minervam,
220 hic modium argenti, meliora ac plura reponit
Persicus, orborum lautissimus et merito iam
suspectus tamquam ipse suas incenderit aedes.

Si potes avelli circensibus, optima Sorae
aut Fabrateriae domus aut Frusinone paratur
225 quanti nunc tenebras unum conducis in annum.
hortulus hic puteusque brevis nec recte movendus
in tenuis plantas facili diffunditur haustu,
vive bidentis amans et culti vilicus horti,
unde epulum possis centum dare Pythagoreis.
230 est aliquid, quocumque loco, quocumque recessu
unius sese dominum fecisse lacertae.

Plurimus hic aeger moritur vigilando (set ipsum
languorem peperit cibus imperfectus et haerens
ardenti stomacho), nam quae meritoria somnum

235 admittunt? magnis opibus dormitur in urbe.
 inde caput morbi, raedarum transitus arto
 vicorum in flexu et stantis convicia mandrae
 eripient somnum Druso vitulisque marinis.
 si vocat officium, turba cedente vehetur
 240 dives et ingenti curret super ora Liburna
 atque obiter leget aut scribet vel dormiet intus;
 namque facit somnum clausa lectica fenestra,
 ante tamen veniet: nobis properantibus opstat
 unda prior, magno populus premit agmine lumbos
 245 qui sequitur; ferit hic cubito, ferit assere duro
 alter, at hic tignum capiti incutit, ille metretam.
 pingua crura luto, planta mox undique magna
 calor, et in digito clavus mihi militis haeret.
 Nonne vides quanto celebretur sportula fumo?
 250 centum convivae, sequitur sua quemque culina.
 Corbulo vix ferret tot vasa ingentia, tot res
 inpositas capiti, quas recto vertice portat
 servulus infelix et cursu ventilat ignem,
 scinduntur tunicae sartae modo, longa coruscat
 255 serraco veniente abies, atque altera pinum
 plaustra vehunt; nutant alte populoque minantur.
 nam si procubuit qui saxa Ligustica portat
 axis et eversum fudit super agmina montem,
 quid superest de corporibus? quis membra, quis ossa
 260 invenit? obtritum vulgi perit omne cadaver
 more animae, domus interea secura patellas
 iam lavat et bucca foculum excitat et sonat unctis
 striglibus et pleno componit lintea guto.
 haec inter pueros varie properantur, at ille
 265 iam sedet in ripa taetrumque novicius horret,
 porthmea nec sperat caenosi gurgitis alnum
 infelix nec habet quem porrigat ore trientem.
 respice nunc alia ac diversa pericula noctis:
 quod spatium tectis sublimibus unde cerebrum
 270 testa ferit, quotiens rimosa et curta fenestris
 vasa cadant, quanto percussum pondere signent
 et laedant silicem, possis ignavus haberi
 et subiti casus improvidus, ad cenam si
 intestatus eas: adeo tot fata, quot illa

275 nocte patent vigiles te praetereunte fenestrae.
 ergo optes votumque feras miserabile tecum,
 ut sint contentae patulas defundere pelves.
 Ebrius ac petulans, qui nullum forte cecidit,
 dat poenas, noctem patitur lugentis amicum
 280 Pelidae, cubat in faciem, mox deinde supinus;
 ergo non aliter poterit dormire: quibusdam
 somnum rixa facit, sed quamvis improbus annis
 atque mero fervens, cavet hunc, quem coccina laena
 vitari iubet et comitum longissimus ordo,
 285 multum praeterea flammaram et aenea lampas;
 me, quem luna solet deducere vel breve lumen
 candelae, cuius dispenso et tempero filum,
 contemnit, miserae cognosce prohoemia rixae,
 si rixa est, ubi tu pulsas, ego vapulo tantum,
 290 stat contra starique iubet: parere necesse est;
 nam quid agas, cum te furiosus cogat et idem
 fortior? „unde venis? – exclamat, – cuius aceto,
 cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum
 sutor et elixi vervecis labra comedit?
 295 nil mihi respondes? aut dic aut accipe calcem.
 ede ubi consistas; in qua te quaero proseucha?⁶⁶
 dicere si temptes aliquid tacitusve recedas,
 tantumdem est: feriunt pariter, vadimonia deinde
 irati faciunt, libertas pauperis haec est:
 300 pulsatus rogat et pugnīs concisus adorat
 ut liceat paucis cum dentibus inde reverti.
 Nec tamen haec tantum metuas, nam qui spoliet te
 non derit clausis domibus, postquam omnis ubique
 fixa catenatae siluit compago tabernae.
 305 interdum et ferro subitus grassator agit rem;
 armato quotiens tutae custode tenentur
 et Pomptina palus et Gallinaria pinus,
 sic inde huc omnes tamquam ad vivaria currunt
 qua fornace graves, qua non incude catenae?
 310 maximus in vinclis ferri modus, ut timeas ne
 vomer deficiat, ne marrae et sarcula desint.
 felices proavorum atavos, felicia dicas
 saecula quae quondam sub regibus atque tribunis
 viderunt uno contentam carcere Romam.

315 His alias poteram et pluris subnectere causas;
 sed iumenta vocant et sol inclinat, eundum est;
 nam mihi commota iam dudum mulio virga
 adnuit. ergo vale nostri memor, et quotiens te
 Roma tuo refici properantem reddet Aquino,
320 me quoque ad Helvinam Cererem vestramque Dianam
 converte a Cumis, saturarum ego, ni pudet illas,
 auditor gelidos veniam caligatus in agros».

CAIUS PLINIUS CAECILIUS SECUNDUS

Гай Плиний Цецилий Секунд (Младший) (61 – ок. 114 г. н. э.) – римский писатель и государственный деятель. Родился на севере Италии в богатой семье представителя сословия всадников. Был другом Публия Корнелия Тациита, Светония Транквилла, Марка Валерия Марциала, учеником знаменитого риторика Марка Фабия Квинтилиана. Являлся приемным сыном своего дяди, знаменитого писателя Плиния Старшего, погибшего при извержении Везувия в 79 г. Кумиром Плиния Младшего был Марк Туллий Цицерон. Его произведения, их блестящая стилистика оказали значительное влияние на творчество писателя.

Плиний Младший собрал и опубликовал 9 книг своих писем, в которых содержатся ценные сведения по истории императорского Рима. Кроме того, он написал «Панегирик императору Траяну». Десятая книга писем – переписка с императором Траяном – включает в себя весьма важную информацию по истории христианства.

EPISTULAE*

LIBER SEXTUS

XVI

C. PLINIUS TACITO SUO S.

- 1 (1) Petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris
possis. gratias ago; nam video morti eius si celebretur a te immortalem
gloriam esse propositam. (2) quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum,
ut populi ut urbes memorabili casu, quasi semper victurus occiderit, quamvis
5 ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius
scriptorum tuorum aeternitas addet. (3) equidem beatos puto, quibus deorum
munere datum est aut facere scribenda aut scribere legenda, beatissimos
vero quibus utrumque. horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis
erit. quo libentius suscipio, deosco etiam quod iniungis.

* Фрагменты «Писем» приводятся по изданию: C. Plini Caecili Secundi Epistularum Libri Decem / ed. R. A. B. Mynors. Oxford, 1963.

10 (4) Erat Miseni classemque imperio praesens regebat. nonum Kal.
Septembres hora fere septima mater mea indicat ei adparere nubem
inuitata et magnitudine et specie. (5) usus ille sole, mox frigida,
gustaverat iacens studebatque; poscit soleas, ascendit locum ex quo
15 maxime miraculum illud conspici poterat. nubes – incertum procul
intuentibus ex quo monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est) –
oriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor quam
pinus expresserit. (6) nam longissimo velut trunco elata in altum
quibusdam ramis diffundebatur, credo quia recenti spiritu evecta, dein
senescente eo destituta aut etiam pondere suo victa in latitudinem
20 vanescebat, candida interdum, interdum sordida et maculosa prout
terram cineremve sustulerat. (7) magnum propiusque noscendum ut
eruditissimo viro visum. iubet liburnicam aptari; mihi si venire una
vellem facit copiam; respondi studere me malle, et forte ipse quod
scriberem dederat. (8) egrediebatur domo; accipit codicillos Rectinae
25 Tasci imminenti periculo exterritae (nam villa eius subiacebat, nec ulla
nisi navibus fuga): ut se tanto discrimini eriperet orabat. (9) vertit ille
consilium et quod studioso animo incohaverat obit maximo. deducit
quadriremes, ascendit ipse non Rectinae modo sed multis (erat enim
frequens amoenitas orae) laturus auxilium. (10) properat illuc unde alii
30 fugiunt, rectumque cursum recta gubernacula in periculum tenet adeo
solutus metu, ut omnes illius mali motus omnes figuras ut deprenderat
oculis dictaret enotaretque.

(11) Iam navibus cinis incidebat, quo propius accederent, calidior et
densior; iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti igne lapides;
35 iam vadum subitum ruinaeque montis litora obstantia. cunctatus paulum
an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti «fortes, –
inquit, – fortuna iuvat: Pomponianum pete». (12) stabiis erat diremptus
sinu medio (nam sensim circumactis curvatisque litoribus mare
infunditur); ibi quamquam nondum periculo adpropinquante,
40 conspicuo tamen et cum cresceret proximo, sarcinas contulerat in
naves, certus fugae si contrarius ventus resedisset. quo tunc avunculus
meus secundissimo invecus, complectitur trepidantem consolatur
hortatur, utque timorem eius sua securitate leniret, deferri in balineum
iubet; lotus accubat cenat, aut hilaris aut (quod aequae magnum) similis
45 hilari. (13) interim e Vesuvio monte pluribus locis latissimae flammae
altaeque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis
excitabatur. ille agrestium trepidatione ignes relictos desertasque villas
per solitudinem ardere in remedium formidinis dictitabat. tum se quieti
dedit et quievit verissimo quidem somno; nam meatus animae, qui illi

50 propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis qui
limini obversabantur audiebatur. (14) sed area ex qua diaeta adibatur
ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut si longior in
cubiculo mora, exitus negaretur. excitatus procedit, seque Pomponiano
55 ceterisque qui pervigilaverant reddit. (15) in commune consultant, intra
tectata subsistant an in aperto vagentur. nam crebris vastisque tremoribus
tectata nutabant, et quasi emota sedibus suis nunc huc nunc illuc abire
aut referri videbantur. (16) sub dio rursus quamquam levium
exesorumque pumicum casus metuebatur, quod tamen periculorum
60 collatio elegit; et apud illum quidem ratio rationem, apud alios
timorem timor vicit. cervicalia capitibus imposita linteis constringunt;
id munimentum adversus incidentia fuit. (17) iam dies alibi, illic nox
omnibus noctibus nigrior densiorque; quam tamen faces multae
variaeque lumina solvebant. placuit egredi in litus, et ex proximo
65 adspicere, ecquid iam mare admitteret; quod adhuc vastum et
adversum permanebat. (18) ibi super abiectum linteum recubans semel
atque iterum frigidam aquam poposcit hausitque. deinde flammae
flammarumque praenuntius odor sulphuris alios in fugam vertunt,
excitant illum. (19) innitens servolis duobus adsurrexit et statim
70 concidit, ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque
stomacho qui illi natura invalidus et angustus et frequenter aestuans
erat. (20) ubi dies redditus (is ab eo quem novissime viderat tertius),
corpus inventum integrum inlaesum opertumque ut fuerat indutus:
habitus corporis quiescenti quam defuncto similior.

(21) Interim Miseni ego et mater – sed nihil ad historiam, nec tu aliud
75 quam de exitu eius scire voluisti. finem ergo faciam. (22) unum adiciam,
omnia me quibus interfueram quaeque statim, cum maxime vera
memorantur, audieram, persecutum. tu potissima excerpes; aliud est enim
epistulam aliud historiam, aliud amico aliud omnibus scribere. vale.

XX

C. PLINIUS TACITO SUO S.

1 (1) Ais te adductum litteris quas exigenti tibi de morte avunculi mei
scripsi, cupere cognoscere, quos ego Miseni relictus (id enim ingressus
abruperam) non solum metus verum etiam casus pertulerim.
«quamquam animus meminisse horret, ... incipiam».

5 (2) Profecto avunculo ipse relicum tempus studiis (ideo enim
remanseram) impendi; mox balineum cena somnus inquietus et brevis.
(3) praecesserat per multos dies tremor terrae, minus formidolosus quia
Campaniae solitus; illa vero nocte ita invaluit, ut non moveri omnia sed
verti crederentur. (4) inrupit cubiculum meum mater; surgebam

10 invicem, si quiesceret excitaturus. resedimus in area domus, quae mare
a tectis modico spatio dividebat. (5) dubito, constantiam vocare an
imprudentiam debeam (agebam enim duodevicensimum annum):
posco librum Titi Livi, et quasi per otium lego atque etiam ut coeperam
15 excerpto. ecce amicus avunculi qui nuper ad eum ex Hispania venerat,
ut me et matrem sedentes, me vero etiam legentem videt, illius
patientiam securitatem meam corripit. nihilo segnius ego intentus in
librum.

(6) Iam hora diei prima, et adhuc dubius et quasi languidus dies.
iam quassatis circumiacentibus tectis, quamquam in aperto loco,
20 angusto tamen, magnus et certus ruinae metus. (7) tum demum
excedere oppido visum; sequitur vulgus attonitum, quodque in pavore
simile prudentiae, alienum consilium suo praefert, ingentique agmine
abeuntes premit et impellit. (8) egressi tecta consistimus. multa ibi
miranda, multas formidines patimur. nam vehicula quae produci
25 iusseramus, quamquam in planissimo campo, in contrarias partes
agebantur, ac ne lapidibus quidem fulta in eodem vestigio quiescebant.
(9) praeterea mare in se resorberi et tremore terrae quasi repelli
videbamus. certe processerat litus, multaque animalia maris siccis
harenis detinebat. ab altero latere nubes atra et horrenda, ignei spiritus
30 tortis vibratque discursibus rupta, in longas flammarum figuras
dehiscebat; fulguribus illae et similes et maiores erant. (10) tum vero
idem ille ex Hispania amicus acrius et instantius «si frater, – inquit, –
tuus, tuus avunculus vivit, vult esse vos salvos; si periit, superstites
35 voluit. proinde quid cessatis evadere?» respondimus non commissuros
nos ut de salute illius incerti nostrae consuleremus. (11) non moratus
ultra proripit se effusoque cursu periculo aufertur. nec multo post illa
nubes descendere in terras, operire maria; cinxerat Capreas et
absconderat, Miseni quod procurrit abstulerat. (12) tum mater orare
40 hortari iubere, quoquo modo fugerem; posse enim iuvenem, se et annis
et corpore gravem bene morituram, si mihi causa mortis non fuisset.
ego contra salvum me nisi una non futurum; dein manum eius
amplexus addere gradum cogo. paret aegre incusatque se, quod me
moretur.

(13) Iam cinis, adhuc tamen rarus. respicio: densa caligo tergis
45 imminebat, quae nos torrentis modo infusa terrae sequebatur.
«deflectamus, – inquam, – dum videmus, ne in via strati comitantium
turba in tenebris obteramur». (14) vix consideramus, et nox non qualis
inlunis aut nubila, sed qualis in locis clausis lumine exstincto. audires
ululatus feminarum, infantum quiritatus, clamores virorum; alii

50 parentes alii liberos alii coniuges vocibus requirebant, vocibus
noscitabant; hi suum casum, illi suorum miserabantur; erant qui metu
mortis mortem precarentur; (15) multi ad deos manus tollere, plures
nusquam iam deos ullos aeternamque illam et novissimam noctem
55 mundo interpretabantur. nec defuerunt qui fictis mentitisque terroribus
vera pericula auferent. aderant qui Miseni illud ruisse illud ardere falso
sed credentibus nuntiabant. (16) paulum reluxit, quod non dies nobis,
sed adventantis ignis indicium videbatur. et ignis quidem longius
substitit; tenebrae rursus cinis rursus, multus et gravis. hunc identidem
60 adsurgentes excutiebamus; operi alioqui atque etiam oblisi pondere
essemus. (17) possem gloriari non gemitum mihi, non vocem parum
fortem in tantis periculis excidisse, nisi me cum omnibus, omnia
mecum perire misero, magno tamen mortalitatis solacio credidissem.

(18) Tandem illa caligo tenuata quasi in fumum nebulamve
discessit; mox dies verus; sol etiam effulsit, luridus tamen qualis esse
65 cum deficit solet. occursabant trepidantibus adhuc oculis mutata omnia
altoque cinere tamquam nive obducta. (19) regressi Misenum curatis
utrumque corporibus suspensam dubiamque noctem spe ac metu
exegimus. metus praevalebat; nam et tremor terrae perseverabat, et
plerique lymphati terrificis vaticinationibus et sua et aliena mala
70 ludificabantur. (20) nobis tamen ne tunc quidem, quamquam et
expertis periculum et expectantibus, abeundi consilium, donec de
avunculo nuntius.

Haec nequaquam historia digna non scripturus leges et tibi scilicet
qui requisisti imputabis, si digna ne epistula quidem videbuntur. vale.

СОДЕРЖАНИЕ

Предисловие	3	Epodi.....	152
Titus Maccius Plautus	4	Carmina	154
Pseudolus	4	Titus Livius	160
Publius Terentius Afer	14	Ab Urbe condita	160
Adelphoe.....	14	Sextus Aurelius Propertius	175
Marcus Tullius Cicero	26	Elegiae	175
In Catilinam	26	Albius Tibullus	185
Epistulae ad Atticum.....	35	Elegiae	185
Epistulae ad familiares.....	38	Publius Ovidius Naso	191
Cornelius Nepos	41	Amores	191
De excellentibus ducibus		Heroides.....	197
exterarum gentium.....	42	Metamorphoses.....	210
Caius Iulius Caesar	53	Tristia.....	218
Commentarii belli Gallici	53	Lucius Annaeus Seneca Minor ...	224
Titus Lucretius Carus	87	Ad Lucilium epistulae morales... 225	
De rerum natura	87	Caius Petronius Arbiter	233
Caius Valerius Catullus	99	Satyricon.....	233
Catulli Veronensis liber	99	Publius Cornelius Tacitus	238
Caius Sallustius Crispus	103	Dialogus de oratoribus.....	238
Catilinae coniuratio.....	103	Annales (Ab excessu divi	
Publius Vergilius Maro	118	Augusti)	244
Bucolica	118	Decimus Iunius Iuvenalis	276
Georgica.....	122	Saturae	277
Aeneis	123	Caius Plinius Caecilius	
Quintus Horatius Flaccus	145	Secundus	286
Sermones	145	Epistulae	286

Учебное издание

ЛАТИНСКИЙ ЯЗЫК

ХРЕСТОМАТИЯ

Составитель

Тананушко Кир Алексеевич

На русском и латинском языках

Редактор *Т. С. Петроченко*

Художник обложки *Т. Ю. Таран*

Технический редактор *Т. К. Раманович*

Компьютерная верстка *А. А. Микулевича*

Корректор *Е. И. Кожушко*

Подписано в печать 10.11.2015. Формат 60×84/16. Бумага офсетная.
Ризография. Усл. печ. л. 16,97. Уч.-изд. л. 17,44. Тираж 100 экз. Заказ 746.

Белорусский государственный университет.
Свидетельство о государственной регистрации издателя, изготовителя,
распространителя печатных изданий № 1/270 от 03.04.2014.
Пр. Независимости, 4, 220030, Минск.

Республиканское унитарное предприятие
«Издательский центр Белорусского государственного университета».
Свидетельство о государственной регистрации издателя, изготовителя,
распространителя печатных изданий № 2/63 от 19.03.2014.
Ул. Красноармейская, 6, 220030, Минск.